B. 5.
3

DE BIBLIIS GRAECIS Interpretum LXXII.

SIXTO V. PONT. OPT. MAX. AVCTORE

editis

Bibl: Secr: Coll: Rom: Soc: Jesu

Commentarius breuis, ac dilucidus

a P. Galeſinio Prot. Ap.

ſcriptus

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AD ILL.^MVM ET REV.^MVM D.


D. ALEXANDRVM PERETTVM

CARDINALEM MONTALTVM.



Cum Priuilegio, et Superiorum Permiſſu.

ROMAE, Ex Typographia Bartholomæi Graſſij. 1587.



Digitized by Google

ILL.MO ET REVER.MO D.

D. ALEXANDRO PERETTO

S. R. E.

Cardinali ampliſsimo, et Optimo

P. Galeſinius, Prot. Ap.

S. D.

GRAECAM ſacrorum Bibliorum editionem, Cardinalis ampliſſime, propediem expectamus: ex qua, fidei Chriſtianæ myſterijs explicandis, hoc etiam tempore, tantum quidem ſperandum eſt adiumenti, quantum profecto maximum patres, tum græci, tum vero latini inde antea ſemper attulerunt, valde quoque repugnatibus aduerſarijs, qui, neglecta Euangelij luce, obſtinate operam dederunt perfidiæ, atque impietati. Ego ſane, quæ eo de genere hiſtorijs non modo græcis, et latinis, verum etiam hebræis, ſyris, aut chaldæis olim mandata ſunt, ea in vnum cōferre aggreſſus, librum iampridem inſtitui, quem emittere decreueram: ſed, cum nondum omnibus partibus abſoluerim, nunc recentis huius editionis, quæ Carafæ Cardinalis ampliſsimi, omni eccleſiaſtica, et græca, et latina eruditione præſtantiſſimi, cura in primis ſingulari, et illorum virorum, libros corrigendi vſu litterate peritorum, theologiæ ſcientia prçcellentium ſtudio correcta, emendataq. maxime putatur, occaſio oblata fecit, vt quæ aliàs in animum induxeram diſtincte, explicate, atque adeo pluribus ſcribere, eà modò paucis complectar. At noli quæſo putare, ſi ſummatim atque abſolute nunc rem expono, quæ longiorem litterarum tractationem

Spes vtilitatum ex editione græca Bibliorum.

Liber de græcis interpretationibus.

Occaſio ſcribendi commentarium.

Digitized by Google

deſiderat,velle propterea me ab ſuſcepta ea libri diligenter conficiendi deliberatione aliquo modo diſcedere. Non mea hæc mens eſt, non meus hic animi ſenſus. Dabo ſane operam,et plane efficiam, vt opus inſtitutum, quod perfici ſumme cupiebam, cum in præſentia minime potuerit, tandem induſtria mea perficiatur: quam, etiam ſi tenuem eſſe ſentiam, tamen omnem, qualiſcunque eſt, in eo perficiendo conterere optimo iure poſſum,ac debeo,vt illud totum,et perfectum in nomine appareat illuſtriſſimæ amplitudinis tuæ,cuius colēdæ deſiderio ardeo incredibili. Nam cum ad optima quæque te egregie animatum videam,et ad ea præſertim, in quibus perfecti, excellentibuſq. ingenijs præditi,gloria laudeq. floruerunt: vix credas,quantum ego operæ,ac diligentiæ in eo ponam, vt non modo mediter,et cogitem,ſed omnino parem, vel potius ad ſummum perducam illa potiſſimum, iamdiu à me inchoata, maiorum vigiliarum opera, quæ vſui eſſe poterunt, atque adiumento ad omnes eximias ſtudiorum tuorum partes. Quod pro virium mearum tenuitate vt ego cumulate præſtem, cum iſta tua ad ſummam virtutem indoles, iſtaq. admiranda, vnò omnium ore laudata,propenſio præſtantiſſimi ingenij,animiq. tui me currentem incitat: tum maxime vnus inflammat, et ille quidem tibi ſanguine coniunctiſſimus, qui te litteris, moribus, maximarumq. virtutum diſciplinis ornatiſſimum eſſe ſtudet, Sixtus Quintus, Pontifex omnium optimus. Etenim is, vt eſt ſingulari ac diuina potius, quàm humana ſapientia præditus, cum et quæ, multis partibus perculſa, ac proſtrata, paulo ante iacere, alieniſq. ſordibus obſoleſcere vidimus, quàm celerrime erexerit,et quæ in perniciem dilapſa fluxerant, diligentiſſime reſtituerit: cumq. quod maximum fuit, ac factu difficillimum, non modo à prouinciarum ditionis eccleſiaſticæ, ſed ab vniuerſæ prope Italiæ ceruicibus quoddam quaſi iugum depulerit hominum ſicariorum, et graſſatorum, infeſtis tumultibus, latrocinijs, cæde, ſæpeq. horribili ſtrage, incendio, atque immani plane barbarie fe-

Studiũ perficiendi opera maiorũ vigiliarum.

Cauſæ perficiendi.

Sixti V. Pont. publica beneficia.

re cuncta vaſtantium: his certe ſummis, et publicis beneficijs, quorum memoriam delere obliuio nulla poteſt, omnium animos mirifice incendit, ita vt nemo fere quiſquam ſit, qui eius non ſeruiat laudi, non ſtudeat gloriæ, quiq. cauſa ſua non velit, et cupiat omnia. Ego porrò tum eius publicarum actionum tantis, tamq. præclaris meritis, quæ intentis oculis intuentur omnes, tum virtutum, quarum ſplendor in eo elucet maximus, luminoſis et quaſi actuoſis partibus, quibus rem chriſtianam, multis oppreſſam incommodis, ſpes ſumma eſt, ad priſtinam dignitatem vindicari poſſe, non parum equidem accenſus, tum ſingulari etiam benignitate, qua is me meaſq. res eximie fouet, vehementer inflammatus, nihil in vita optabilius, nihilq. potius habeo, quàm vt ſecundum Deum ei, ſanctiſſimo, ſapientiſſimoq. pontifici, et de omnibus egregie merito, cui ego potiſſimum me tantum debere profiteor, quantum alij vnquam nemini, ſatisfaciam plane omni ſtudio, induſtria, opera, ac perpetuò obſequio. Et vero quamquam in me non tantum vel virtutis eſt, vel ſapientiæ, vt modo ſim ad res magnas, excellenteſq. valde aptus: tamen erecto quodam animo, ardentiq. ea voluntate me eſſe ſentio, qua in dies ſingulos aliquid mihi ſubſidij comparare ſtudeo, vſque adeo vt et pontifici ipſi, et tibi, quem is vnice diligit, chariſſimumq. habet, ſi minus omnia, quæ vtriuſque cauſa recte conor, at ſaltem non pauca præſtare me poſſe ſperem, et confidam quidem certe. Idq. malo non ſane verbis, ſed re plane ipſa comprobari. Sed denique illud, Cardinalis optime, reliquum eſt, quod ad tuam vnius laudem, et illam quidem veram, ac ſolidam, in quam toto pectore incumbis, maxime intereſt, vt, cum pontificem habeas, auiæ tuæ, ſanctiſſimæ, lectiſſimæq. feminæ fratrem, tui in primis cupidiſſimum, omnibus virtutum copijs affluentem, cuius auctoritate, conſilio, ſtudijs, actionibus, atque adeo beneficijs, non infimos tantum, qualis ego ſum, aut medios, ſed ſummos viros, et principes, omneſq. omnis ordinis et loci homines, toto orbe terrarum

Deſiderium auctoris.

Gloria Cardinalis in imitatione Pont.

ad præ-

ad præclare agendum incenſos vides, eius magno et domeſtico exemplo te, etiam ſponte, vltroq. ad optima quæque progredientem, vehementius, quemadmodum facis, in omnes partes quotidie ipſe excites ad illius imitationem. Atque iſtuc quidem profecto agis, vt te decet. Id enim Cardinalis, cuius perſonam præclare ſuſtines, dignitas depoſcit: id poſtulat auctoritas, et poteſtas, qua in magna rerum adminiſtratione excellis: id bonum publicum requirit, quod pro iſtius ampliſſimi honoris, munerisq. ratione procurare ſummopere debes: id præſtantiſſima auia tua flagitat, quæ, vt es fratri ſuo, pontifici maximo, cognatione, neceſſitudineq. proximus, ita ei pietate, vitæ innocentia, caſtiſſima morum diſciplina, ſapientia, doctrina, eruditione te ſimillimum eſſe optat, et ſummopere cupit. Quid multis? is ipſe pontifex, quem Deus, omnium bonorum fons, tibi tuorum commodorum, honorumq. maxime auctorem dedit, illud idem iure abs te exigit, cum nullum neque charitatis officijs, nec vero exēplis vel publicis, vel priuatis, neque adeo tacitis benigni animi ſui cogitationibus locum relinquat: quibus præclaros iſtius optimæ mētis tuæ impetus incitare poſſit cùm ad recte agendum, tùm ad eximie promerendum de eccleſia, cuius dignitati, et vtilitatibus Cardinalis ſeruiat oportet, et is quidem præſertim, cui ea quaſi neceſſitas quædam impoſita eſt, vt ad ſingularem aliquam Pontificis præſtantiſſimi imitationem ſe componat, atque inſtituat: Vides igitur Sixti Quinti, ſummi pontificis, cuius omnia dicta, conſilia, inſtituta, actiones, et omnes denique vitæ partes tibi ob oculos ponere debes, religionem erga Deum, atque in ipſa religione, auctoritateq. tuenda firmitudinem animi, et conſtantiam: vides multiplicem rerum humanarum, diuinarumq. ſcientiam, qua admirabiliter excellit: vides in omnibus maximis cauſis, in quibus Dei gloriæ, aut amplitudini eccleſiæ ſeruiendum eſt, ſapientiam plane ſingularem: vides demum eius in omi negotio laborē, in agendo induſtriam, celeritatem in cōficiendo, conſilium in prouidendo,

Cohortatio ad imitationem.

Sixti V. virtutes propoſita ad imitationem.

uidendo. Nihil is quicquam vlla ratione prætermittit, quod ad rei chriſtianæ publicæ decus pertineat. Omnes mentis vires, ingenij neruos, animiq. cogitationes ad illius ſalutẽ cõſeruationemq. confert: atque eò vniuerſum vitæ curſum conuertit, vt cunctas eius vel exiguas partes, ſaluas, incolumes, et à detrimento, periculoq. ſartas tectas tueatur. In id autem omni etiam ſtudio, virtute, auctoritateq. incumbit, vt magnis malis, quæ impẽdere videt, opportune occurrat: et rebus omnibus demerſis, vel afflictis opem auxiliumq. ferat. Vides illam plane mirificam eius rationem, vt in priuatis rebus, ſuiſq. ſumptibus minimo contentus, eò cultu viuat, vnde ad reliquos omnes magnum dimanet frugalitatis exemplum, imitatione dignum: ſed in publica quidem dignitate, et poteſtate rei chriſtianæ, ſibi commiſſæ, omnia reuocat ad ſummum pontificiæ maieſtatis ſplendorem. Is profecto animum, omnemq. curam, ſollicitudinem, ac vigilantiam ſuam in ijs agendis ponit, quæ maxima ſunt, quæq. ampliſſima. Nullo incommodo, aut difficultate, quæ alios principes viros, etiam à cogitatione operum præcellentium abducere ſolet, ab illis ſuſcipiendis, aut certe conficiendis non deterretur modo vnquàm, ſed ne retardatur quidem. Nullis rerum aduerſarum fluctibus debilitatur, non frangitur, non conuellitur. Tanta eſt, tamq. excelſa, atque alta vis animi ſui: quippe qui, virtutibus exaggerratus, tempeſtatibus repellendis firmior fit, tum vero longe maior conatibus maximis comparandis. Hunc ſequi, hunc imitari, cùm reipublicæ in omnes partes vtile eſt, tum recte imitanti honeſtum, ac glorioſum, tibi potiſſimum, Alexander Cardinalis ampliſſime, qui ex illius ſtirpe ortus, iam iſta ætate, ab omni alia cogitatione auerſus, tota mente, omniq. conatu in ijs virtutum curriculis te vehementer exerces, in quibus iamdiu Sixti Quinti pontificis, cuius in primis gloria duceris, impreſſa ſunt veſtigia. Itaque cum ad illius imitationem ipſe natus, et quaſi factus videare: præſtabis, optime Cardinalis, tu certe et hæc, quæ modo vere breuiq. commemoraui, et

Mirifica frugalitas Põt.

Glorioſum eſt, imitari egregium Pontificẽ.

ui, et

ui, et alia præclara, te ipſo ſcilicet dignà, tantoq. pontifice: quem felicem, beatum, florentem, ſicut maximopere optamus omnes, et cupimus: ita ſanctiſſimis precibus, hoc ipſum pietatis noſtræ eſt, in ſingulos dies, Deum, patrem miſericordiarum, rogare, atque orare aſſidue. At denique cum ad ea parumper digreſſus ſim, quæ enarrare non modo iucundum, ſed publice, priuatimq. vtile duxi, iam reuertor ad illud, quod de græca ſacrorum Bibliorum interpretatione

Propoſitio tractationis in hoc commentario.

conſcribere inſtitui. Atque primo quidem de illa; quam duo et ſeptuaginta viri diuinitùs confecerunt, deinde de reliquis ordine ſcribam, quæ multæ ſunt, atque variæ. Neque

Syra, et Chaldæa interpretatio.

Armena interpretatio.

Illyrica interpretatio.

Arabica interpretatio.

autem in animo nunc habeo, alias explicare vel Syras, vel Chaldæas, quas partim Onchelus, partim Ioſephus Cæcus ſcripſit. De Armena porro verſione, quam ſanctus Ioannes Chryſoſtomus ei nationi præſtitit, non eſt etiam, cur hoc loco differam: neque de Illyrica præterea, quam olim edidiſſe traditur ille, ſumma eruditione, et ſanctitate celeberrimus eccleſiæ doctor, Hieronymus: cũ hæc, vt Arabica, qua multæ in Oriente nationes chriſtiani nominis, at à fide Romana, doctrinaq. catholica diſſidentes, vtuntur, ab vno illo græcæ lxxij. virùm interpretationis fonte dimanarit. Ego verò de ijs omnibus aliam ſcribendi occaſionem nactus, non ſane vnquam laborem recuſabo. Latinam denique

Sacra vulgata editio Bibliorum.

editionem, quam vulgatam dicimus, Tridentini oecumenici concilij decreto ſapienter, et diuinè comprobatam, ſacro ſanctamq. iure nuncupamus, in id tempus reijcimus, cum ex illius concilij præſcripto, Biblia latina, quàm emendatiſſima emittentur iuſſu, et auctoritate ſummi pontificis Sixti Quinti: cui ea res, vt ceteræ ſolent, quæ ad gloriam Dei ſpectant, curæ eſt maximæ. At ſi quis tamen locus interea inciderit, vnde illi ſacræ editioni aliquid luminis afferri queat, eò aliquando digredi, propoſiti mei rationibus non alienum videbitur. Sacrorum igitur Bibliorum interpretationis græcæ, in qua conſcribenda duo et ſeptuaginta illi viri operam diuinitus poſuerunt, hiſtoriam, quæ quibuſdam ho-

Hiſtoria interpretationis LXXII. ſeniorum.

minibus,

Digitized by Google

minibus, haudquaquam ſatis litterate peritis, non enucleate perſcripta videtur, meo ſane iudicio recte vereq. Ariſtæas primo narrauit: quem propterea eius narrationis patrem, atque auctorem plerique omnes appellarunt. Is, Ptolomæi Philadelphi Hyperaſpiſtes, quem cubiculi curæ præfectum, aut, ſi ita latine interpretari licet, cubicularium vulgo interpretantur, cum pro officij, quod gerebat, ratione, poteſtate fuit non exigua præditus: tum magna apud regem auctoritate floruit, nimirum quia vitæ probitate erat ſingulari, et præclara eruditione, doctrina, atque prudentia. Quamobrem in re maxima, quæ diuino conſilio confecta exiſtimatur, legatus, e duobus vnus, à Ptolomæo miſſus ad Eleazarum, ſummum Iudæorum ſacerdotem, cuncta ferè procurauit, et adminiſtrauit, quæ de ea interpretatione aut publice, aut priuatim acta geſtaq. ſunt. Cum igitur omnibus rebus, quæ ad commiſſi muneris curationem pertinerent, non interfuerit modò, ſed præfuerit: ipſe ſcripſit, non quæ auditione accepit, ſed quæ oculis aſpexit, vel potius quæ vere egit. Id ipſumq. argumento eſt, haud quaquam dubia eſſe, ſed certa atque explorata, quæ litteris ea de re mandauit. In quam ſane opinionem me illud valde confirmat, quòd quæ ſcripſit, non modo repugnantia ſunt, ſed plane conſentientia cum omnibus antiquitatis monimentis, præſertimq. cum Aegyptiorum annalibus, quos ab ſacerdotibus religioſiſſime conſcribi conſueuiſſe, proditum eſt. Quod autèm in illa ipſa re commemoranda minime hiſtoriæ leges neglexerit, quæ rei geſtæ veritatem dumtaxat requirunt, ea præterea ratio arguere facile poteſt, quia, cum homo Iudæus non fuerit, haud equidem iudaicæ laudis, et gloriæ, qua de potiſſimum agebatur, ſtudio, neque gratia, neque ſimultate, neque alia prauitate, quæ ſæpe verum obſcurat, ductus animum ad ſcribendum appulit: ſed nullo modo præpoſtere, aut varie affectus, ita in omni narratione lucem veritatis ſpectauit, vt, quod viri boni eſt, hominiſq. hiſtorici, nihil quicquã falſi dicere auſus ſit, rurſuſq. nihil non plane verum. At non

Ariſteas certus illius hiſtoriæ ſcriptor.

Hyperaſpiſtes.

Aegyptiorũ annales.

inficior tamen illum ob religionem, et ſapientiam, cuius no
Ariſteas Iudæorum patronus.
mine Iudæi tum maxime illuſtres erant, patrocinio, atque
auctoritate aliquando fauiſſe eorum cauſæ, vt, cum iam ij in
ſeruitute eſſent, ad libertatem vindicarentur. Atqui deni-
que quantum Ariſteæ, cuius ſcriptionem in hoc genere ſe-
cuta eſt omnis ferè antiquitas, tribui iure poſſit, permulti ſi-
gnificant, et declarant, qui clariſſimi viri ſunt, ijq. in primis,
Ioſ. lib. 12. cap. 2. Iud. ant. Ter. in Apol. Ep. lib. de pond. Zon. lib. 1. An.
vt pote Ioſephus Hebræus, Tertullianus, Euſebius Cæſa-
rienſis, Epiphanius, et Ioannes Zonaras. Sanctus autem
Hieronymus illius teſtimonio præter ceteros ſemel atque
iterum vtitur præclare. Sunt alij præterea omnium deinceps
fere ætatum ſcriptores, viri gloria clari, et auctoritate gra-
ues, qui eadem hæc de illo teſtata faciunt. Et ſane, quam-
quam certum eſt, idemq. luculentis pene cunctorum com-
mentarijs teſtatiſſimum, ac notiſſimum, duorum et ſeptua-
ginta interpretum, quos ad græcam ſacrorum Bibliorum
verſionem Ptolomæus Rex adhibuit, hiſtoriam ab Ariſtæa
recte eſſe ſcriptis commendatam ſuis: nihilominus tamen
aliquis extitit, qui præpoſtero conſilio vſus, aſſeueranter, ne
dicam, temere dicere auſus eſt librum, qui modò iam in Ari
ſteæ nomine apparet, non tam ab eo ſcriptum eſſe, quàm ab
Ariſtaea hiſtoriam neganti reſpondetur.
aliquo recenti auctore, alioqui docto, et ſapiente. Næ iſte
profecto perſpicue fallitur, cum viri litteris et græcis, et la-
tinis eruditiſſimi, frequentes in eam ſententiam eant, vt ip-
ſius Ariſtææ opus vere eſſe putent: cui neque deeſt etiam
qui in hac cauſa ſe acerrimum præbeat et patronum, et vin-
dicem. Verum nihil attinet aduerſarium iſtiuſmodi, non be-
ne ſentientem, coarguere, cum ad id, quod præciſe negare
verbis tantum contẽdit, nec ipſe, vt neque certe quiſquam
adhuc alius, argumentationem attulit vllam, quæ vel proba
biliter oſtendat, vel neceſſario demonſtret. At vero qui con
tra ſentiunt, argumentantur ſedulo, et grauiter, ita vt iam
res valde ſit euidens, atque inter omnes ferme liquido con-
ſtet cum ex plurimis rationibus, quæ mox in medium prola
tæ ſunt, tum ex ea etiam, quòd omni vel diligentiſſima bi-

bliothe-

bliothecarum, præſertim veterum, indagatione, et illa quidem perpetua, vbique gentium non alia vſquam hactenus Ariſtææ hiſtoria inueniatur, atque cernatur, quàm quæ in vulgus iampridem eius nomine emiſſa, ſapientiſſimo cuique probari omni ratione videtur, eaq. potiſſimum, quia cum annalium vetuſtate, et patrum antiquorum monimentis, obſignatiſq. priſcis tabulis conſentit. Si quis autem rurſus etiam inſtat, pertinaciq. contentione adhuc aſſerit, librum Ariſtææ non eſſe, cuius nomine inſcriptus, in vulgus prodijt, quia hic ſanequàm paruus eſt, atque exiguus, illum vero grandem extitiſſe admodum, ac pluribus explicatum, Ioſephus ſignificare videtur, cum nequaquam librum vnum, ſed volumina Ariſtææ appellet, quæ de ſacrorum bibliorum interpretatione, et Ptolomæi Regis, ſeptuagintaq. duorum interpretum conuiuio ille ſcripſit. At ſane vero non eſt, cur argumento hoc quiſpiam vrgeat, quoniam ſi nominis, quo is græco vſus eſt, vis perpenditur, nullius eſt ponderis, nullius momenti. Nam βιβλίον cum quis latine reddet, librum paruulum interpretabitur. In quam ſignificationem hoc quadrat, quòd Epiphanius, ceteriq. non volumen, ſed librum Ariſtææ vocarunt: quo nomine ex ſermonis latini vſu non modò oratio, quæ ſæpenumero bene longa eſſe ſolet, ſed epiſtola intelligitur etiam. Itaque ne magnitudinis quidem, aut prolixitatis ratione, liber Ariſtææ inſcriptione emiſſus, ab hiſtoriæ exemplari differt, quod ab eo confectum eſſe, inter omnes conuenit. Idq. ſine dubio cum ita ſit, vt plane enarraui: eo ipſo in primis auctore, qui Polycrati fratri illum hiſtoriæ lxxij. interpretum librum ſcripſit, facile vtor ad hunc commentarium meum: quem ex lucubrationibus quoque contexo eorum omnium, qui in illo narrationis genere elaborarunt. Atque ij quidem tam multi ſunt, et aliquando vſque adeo in ſcribendo inter ſe diſſentientes, vt non modò multis partibus, quas dilucide explicari oportuit, vtile, ſed maxime neceſſarium putarim, id parum laboris ſuſcipere, vt tota eius rei commentatio, atque expoſitio,

Ioſ. lib. 12. c. 2. Ant. Iud.

Ep. lib. de pond.

Commentarius hic quibus lucubrationibus contextus.

non pugnet inter ſe, ſed omnino cohæreat. Satis porrò de ijs ipſis interpretibus Ioſephus Hebræus, ſcriptor luculentus, dixit: quem interdum à ceteris, eadem narrantibus, aperte diſcrepãtem animaduerti licet. Immo vero illi duo, quos et doctrina, et ſanctitate celeberrimos, diuinarum litterarũ interpretes, valde præcipuos eccleſia habet, Auguſtinus et Hieronymus, litteris vltro citroq. datis, cùm de illis, tum de eorum interpretatione differunt: et loqui multa videntur, in quibus inter ſe valde nonulli differe eos opinantur, quos tamen demum conſentire, ex commentario hoc diſcere præclara ratione poterunt. Sed longum nimis eſt, cunctos percenſere, qui græcam lxxij. virũm interpretationem narrarunt, aut aliquo explicationis genere tractarunt. Sunt in latinis, præter illos duos, quos mox ego commemoraui, non ſane pauci, nempe Tertullianus, Irenæus, Cyprianus, Hilarius, Gregorius Magnus, Ambroſius, Philippus ſancti Hieronymi diſcipulus, Rufinus, Lucifer Caralitanus, Euſebius Vercellenſis et ceteri: at vero in græcis ſane plurimi, vtpote, Iuſtinus Martyr, Ariſtides, Quadratus Athenienſis, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Origenes, Gregorius Thaumaturgus, et Nazianzenus item Gregorius, Baſilius Cæſarienſis, Athanaſius, Cyrillus, Chryſoſtomus, Iſichius, Theodoritus, Euthymius, Theophylactus, Procopius Gazæus, Oecumenius, ac Græciæ, tum veteris, tum recentis reliqui omnes, quicumque diuinis litteris tractandis operam, atque opus nauauerunt. In tanta igitur ſcriptorum multitudine, quam in perpetua illius interpretationis defenſione, quaſi cohortem quandam prætoriam firmiſſimam fuiſſe, omnes indicant, rationibus publicis non alienum fuit, in commentarium vnum omnia referre, et quæcumque antea litterarum monimentis eo de genere toto ſunt conſignata, et quæ interdum à nonnullis confuſe explicantur, non ſolum diſtincte abſoluteq. perſequi, ſed illuſtri etiam oratione. Itaque primum explicabo quæſtionem, quæ, ſi recte commemini, in medium allata, non dum videtur expoſita ſatis diligenter:

Ioſ. lib. 12. cap. 2. Iud. Anſ.

SS. Auguſtini, et Hieronymi diſſenſio, rurſus conſenſio.

Quæſtio, an Biblia græce verſa ſint ante interpretationem lxx. ſeniorũ.

ter : deinde cetera, quæ ad rei totius explanandæ viam rectam attinent, accurate perſequar : idq. in primis ſtudebo, et pro viribus conabor, vt, cum ſingula ſint diſpoſita loco ſuo:tum quæ etiam res in hiſtoria ſcribenda apparere debent, eæ potiſſimum duæ vbique in tota tractatione eluceant, copia ſcilicet rerum, et verborum ornatus. Eſt ergo, vt ad rem ipſam dubitatam redeam, iamdiu quæſitum, an ſacra Biblia, primùm hebræo ſermone diuinitus ſcripta, alius quiſpiam in græcum ante conuerterit, quàm duo et ſeptuaginta illi viri, quos ad interpretationis munus Ptolomæus Philadelphus adhibuerat, ea græca fecerint. Id ſane haudquaquam temere quæri potuerat. Nam viros aliquos, ingenij, doctrinæq. laude præcellentes, illud interdum ſane conatos, numquam plane aſſecutos eſſe, annalium græcorum monimenta docent : atque id ipſum quidem diuino conſilio factum arbitrantur. At ſi recte res inueſtigatur, nullus profecto locus dubitandi relinquitur, cum eam dilucide ſatis explicet, planamq. omnino faciat Euſebius Cæſarienſis : qui non modo ante Ptolomæi, ſed Alexandri Magni etiam ætatem, Perſarumq. regnum, libros Moſis ex hebræo in ſermonem græcum conuerſos eſſe, non ſemel atque iterum, ſed ſæpius teſtatum reliquit. Immo vero longe ante Ariſtobolus Ariſtotelicus id ſcribit, omniq. aſſeueratione Demetrius Phaleræus affirmat non tantum litteris, quas Ptolomæo Philadelpho ſcripſit, ſed colloquio quodam, quod ea ipſa de re cum illo habuit. Sed quis tunc græce verterit, incertum eſt, ac dubium, cum nemo veterum ſit, qui ad poſteritatem hoc certis monimentis prodiderit. At illos græce redditos quidem eſſe ante duò et ſeptuaginta virùm interpretationem, nemo ferè ambigit: quinimmo in hãc ipſam ſententiam græci frequentes eunt, Iuſtinus martyr in primis, Clemens Alexandrinus, Chryſoſtomus, Theodoritus, alijq. veteri græcia digni, cum aſſeueranter dicant, et Pythagoram, et Platonem, et Ariſtotelem, Philoſophorũ principes, ex ijs ipſis libris, in quorũ ſtudijs græce ſolum verſati

Res duæ in hiſtoria, copia rerum, et verborum ornatus.

Euſe. lib. 9. c. 3. Præp. Eu.

Iuſt. in Ap. Cl. Al. lib. 1. ſtr.

ſunt,

ſunt, tamquã ex intimæ philoſophiæ fontibus, permulta hauſiſſe, et accepiſſe, quæ ſicut propria ſua eſſe voluerũt. Id vero, græci illi doctores, et magiſtri copioſe diſſerunt. Neque propterea eſt, cur rem, quæ ferè nulla diſputatione opus habet, longiorem, quàm oportet, faciamus: cùm præſertim vnus etiam Numenius Pythagoræus, quem omnibus philoſophis eruditiſſimus Origenes anteponit, apertiſſime præter ceteros, maximeq. profiteatur, Platonem eſſe nihil certe aliud, ac ipſum plane Moſem, attica lingua loquentem. Ambroſius autem ſanctiſſimus, idemq. doctiſſimus, aliquando ſcribit, e Salomonis canticis eundem Platonem accepiſſe admodum multa. Nec vero Hermippus Pythagoræus inficiatur, è Dei lege, quam Moſes ſcripſit, non pauca Pythagoram ad inſtituta præceptaq. tranſtuliſſe philoſophiæ ſuæ. Idem de Ariſtotile ſcribit eius diſcipulus, Clearchus Peripateticus. Et vero quamquam ſunt, qui in ea opinione verſantur, vt pentatheucum, non græce quidem redditum, philoſophos illos legiſſe, ſed ex interprete didiciſſe putent, cũ præſertim Clearchus ipſe teſtatũ faciat, Ariſtotelem etiam homine hebræo ſibi familiari ad interpretationem vſum eſſe: id certe non negatur, at ſapientiſſimo tamen cuique omnium pene ſententia probatur, quam, auctorum locupletiſſimorum monimentis perpetuo teſtificatam, iam proxime protulimus. Quare iam affirmemus licet, pentatheucum ſcilicet dumtaxat, quos libros Moſis quinque dicimus, ab alijs antea, quamuis incertum ſit, qui fuerint, quodã modo conuerſum, poſtea vero diuina ratione à duobus illis et ſeptuaginta interpretibus, non modo eum dumtaxat græce redditum eſſe, ſed alios ſacros præterea libros, vt infra, quoad eius fieri poteſt, enucleate ipſe perſcribam. Nunc vero iam demum locus eſt, ordine de eo toto interpretationis genere differendi. Illud igitur primo poſitum ſit, diuino factum eſſe conſilio, vt ſcriptura ſacra, quam vniuerſam, litteris hebræis initio conſignatam, hebræoq. ſermone expoſitam eſſe, omnes fatẽtur, græce multis ante annis, quàm naſceretur Chriſtus

Pentatheucus græce cõuerſus ante interpretationem lxx. virùm.

Diuino conſilio græce verſa eſt ſacra ſcriptura.

ſtus

ſtus Ieſus, ab interpretibus verteretur, et illis quidem Iudæis, et à pontifice eorum Eleazaro, homine item Iudæo miſſis, et à Ptolomæo Philadelpho, rege Aegyptio, euocatis, quem tum importuniſſimum nominis populiq. Iudæi hoſtem, tum vero iudææ religionis infenſiſſimum aduerſarium, damnatæ autem ſuperſtitionis ſtudioſiſſimum, atque acerrimum eiuſdem propugnatorem fuiſſe, litteræ græcæ latinæq. loquuntur. Id plane Dei prouidentia, ac voluntate, vt dixi, factum eſſe, nemo eſt, qui ambigat: aperte vero demonſtrant priſci ſcriptores, maximeq. Tertullianus, Irenæus, Lactantius Firmianus, Alexandrinus Clemens, Euſebius Cæſarienſis, ſed longe pluribus, atque adeo melius Chryſoſtomus: qui hoc rariſſimum, ſingulareq. miraculum putauit. Quis enim id, quod ne optari quidem, ne dum ſperari potuerat, tam impenſe curauit? quis plane effecit? Ptolomæus, Philadelphus, exploſa eſt enim eorum opinio, qui Ptolomæum Lagum putant, rex ſcilicet potētiſſimus, at vero pius nequaquam, ſed barbarus, non veræ religionis cultor, ſed à fidei myſterijs alienus, non populi Dei amicus, ſed palam inimicus: cuius pater Iudæorum vrbes vaſtarat, oppida vicoſq. inflammarat, fines diripuerat, exciſionemq. ac euerſionem, et penè interitum rei iudææ publicæ intulerat, et populi, quem internecione non deleuerat, multitudinem ingentem in ſeruitutem abduxerat. Non ergo humani ingenij vi, non humano conſilio, id ipſum confectum videtur; non arte magiſtra, non virtute duce, ſed plane voluntate, ope, atque auxilio Dei optimi, maximi: qui neque à pijs fideiq. religionem colentibus, quorum maxima copia erat, fieri voluit, vt ne hominum vel conſilio, vel ſolertia, induſtriaue factum videretur. Nam quæ profecto res Dei prouidentia conſilioq. fiunt, atque aguntur, eæ ferè omnes ita ſe habent, vt per aduerſarios aliquando procurentur, aut efficiantur, quo ſplendidius diuina præcepta diuinæq. res eluceſcant, ijs potiſſimum curantibus, qui veritati aduerſantur. Sed eſt, cur hac ipſa in re, quam à rege, fidei aduerſario ſuſcipi, agiq. Deus voluit, magis

Tert. in Ap. c. 19. Fir. lib. 4. c. 2. diu. inſt. Clem. lib. 1. ſtr. Euſ. lib. 9. c. 1. prap. Eu. Chryſ. hom. 4. in Gen.

Ptolomæus Philadelphus, non Lagus interpretationis opus curauit.

gis

Quanta ope Ptolomæus aggreſſus eſt opus interpretationis.

gis atque magis diuina ſpectetur prouidentia. Fecit is non tantum, vt id munus rex aggrederetur, ſed prorſus aggrederetur ſummo conatu, ope maxima, et ſumptibus immenſis: quibus omnibus regius animus, ne cogitatione quidem deterritus, neque vlla difficultate debilitatus, nec fractus, ſed firmior factus cum ſit, atque erectior ad illud non modo ſuſcipiendum, atque inſtituendum, ſed ad perficiendum: hic nemo eſt, quin animo cernat diuinam illam prouidentiam, qua tam admirabile illius græcæ interpretationis opus et adminiſtratum, et conſtitutum, confectumq. eſt. Itaque quò cuncta, quæ rei gerendæ curſum adiuuare poterant, facilius agerentur: id diuino conſilio perfectum eſt, vt de Iudæis rex egregie mereretur, et eorum, quos antea ipſe peſſime oderat, beneuolentiam ſibi conciliaret, animos voluntateſq. deuinciret regiæ liberalitatis officijs, muneribuſq. ampliſſimis.

Redemptio Iudæorum.

Primo Iudæorum, quotquot in Aegypto erant, centum ſcilicet millia redemit, manumiſit, libereq. ad ſuos abire iuſſit. Neque enim eos ſolum, qui in bello capti, ſeruitutem patri ſeruierant, liberauit, manuq. ſua miſit: ſed ceteros omnes, quicumque in regnum per vim iure militiæ abducti vnquam eſſent, pecunia pene innumera emptos, libertate donauit, vſque adeo vt infantes etiam lactentes cum matribus pretio ingenti recuperarit. Summa impenſæ, erogatæq. monetæ fuit, ſexcenta, et ſexaginta talenta: quæ talenta ſi attîca putantur, nummum aureorum nnmerus erit certe maximus. In ſingulos autem homines redimendos erogauit drachmas viginti, quas infantibus quoque lactentibus recuperandis pendi voluit, ſumma ſignificatione regiæ liberalitatis, quam quoque antea fecerat teſtatiſſimam edicto, quod præclarum de Iudæis liberandis promulgauit.

Auctores liberationis Iudæorum.

Fuerant ei quidem primum Soſibius Tarẽtinus, Andreas, et Ariſtæas, primarij cubiculi regij cuſtodes, Demetriuſq. Phaleræus bibliothecæ regiæ præfectus, maxime auctores, vt Iudæis libertatem daret: ita ipſe tamen, Deo volente, à quo omne bonum manat, prompto, gaudentiq. animo conſilium eorum

rum

rum quamprimum cœpit, vt nihil potius, antiquiuſq. habuerit, quàm vt eiuſmodi negotium bene gereret, recteq. exequeretur. Itaque liberationis huiuſce munus præſtitit tum celeritate repentina, atque inſperata, tum præſtantiſſima, maximeq. commemoranda liberalitatis regiæ magnificentia. Edictum de Iudæis dimittendis, liberandiſq. ſtatim ſcribi, ac promulgari iuſſit: totamq. rem accurate, atque egregie decretam, dierum ſeptem ſpatio abſolui voluit. Verum ſane illud ad eximiæ regiæ benignitatis gloriam etiam inſigne fuit, quòd ſibi oblati edicti formulam, quam ieiune nimis, et exhiliter alij conceperant, vberiorem fieri mandauit, vt non modo parti illorum, quemadmodum eo edicto ceteri cauerant, ſed omnibus, ac ſingulis, quicumque vel antea patris ætate, vel poſtea, vel aliò vnquam tempore, ad Aegyptum e Iudæa in ſeruitutem perducti eſſent. Quæ liberalis animi declaratio, benignitatiſq. ampliſſimæ teſtificatio, vt eſt maxime prædicanda, ita digniſſimum perpetua memoria, quod de pueris lactentibus etiam gaza regia redimendis, quemadmodum proxime expoſui, ſtatuit, et reſpondit. Pecuniæ autem, quam à fiſco regio numerari decreuerat, ſolutio cum multiplex, et cumulata futura eſſet, vt celerrime conficeretur, eam ita diſpertiri voluit, vt, quibus iuſſum erat certam nummum ſummam repræſentare, ij regij quæſtores, ceteriq. monetæ curatores, ac nūmularij ſinguli, mora nulla interpoſita, penderent, atque numerarent omnino. Nec vero ea ſumma liberalitate contentus Rex, vtpote qui diuina quadam vi ad opus ſummum intime incitabatur, meditari, parareq. impenſe alia ſtuduit, quibus populo Iudæo gratificaretur. Itaque multa, regiaq. omnino dona, quæ apparare, atque adornare nemo quiſquam poſſet, niſi Rex maximus, ſtudioſe conquiſiuit: ideoq. è regno ſuo aurifices, arte præcellentes, vndique accerſiuit, qui inſtrumenta, et vaſa, auro, argento, puro puto conflarent: et exquiſito miroq. opere, atque artificio ſingulari conficerent. Quocirca iuſſit, fiſci regij præfectos facere illis copiam eligendi, quæ

Edictum de Iudæis liberandis.

Munerum apparatus exquiſitus.

Digitized by Google

maxime opus eſſe intelligerent ad menſas, crateras, phialas, inſtrumentaq. pretioſiſſima conficienda. Eamq. ob rem auri pondo quinquaginta talentorum, argenti et ſeptuaginta, gemmarum pretij inæſtimabilis, et margaritarum numerum dedit infinitum. Omnis autem pecuniæ ſumma vix, aut ne vix quidem æſtimari poteſt. Donis igitur, muneribuſq. mire apparatis, legatos præterea duos, de quibus paulo infra dicam, Ariſtæam, et Andream, viros primarios, negotij huiuſce cauſa Ptolomæus decreuit, cui tanta, tamq. ardens cura diuinitus iniecta erat, vt ex ijs, quæ modo narrata ſunt, animaduerti facile poteſt. Hoc loco eſt, cur videamus, quàm grauiſſimo, et pernicioſiſſimo malo Deus occurrere voluit diuino illo græcæ bibliorum interpretationis beneficio. Is enim cum ab omnibus ſæculis prouideret, Iudæos, ab euangelij luce abhorrentes, obſtinato fore animo, obfirmatoq. ad perfidiam, eamq. ob rem illud eſſe maximopere curaturos, vt veteris teſtamenti codices, in quibus multa præſertim prædicuntur apertiſſime de Chriſti Ieſu myſterijs, de eius ortu, de acerbiſſima nece, de reditu ad vitã, de aſcenſu ad cælum, de cæleſti et diuina virtute, ij omnes vel omnino ſuppri merentur, vel falſi, corruptiq. cum chriſtianis hominibus communicarentur: ideo Aegyptiorum Regem, Ptolomæum Philadelphum, eo deſiderio incẽdit, vt in illa longe omnium nobiliſſima regia bibliotheca, omnibus librorum copijs affluenti, cui Demetrius Phalereus præerat, ſcriptorum etiam hebræorum volumina græce verſa aſſeruarentur. Idq. factum eſſe narrant trecentis annis, et amplius, quàm Chriſtus Dominus naſceretur. Quod ſi poſt illius aduentum factum eſſet: certe aut Ptolomæus illa non habuiſſet, aut Iudæi, inuidiæ ardore flagrantes, errorum ſordibus inquinata, tenebriſq. multarum rerum, et verborum offuſa, ea dediſſent: aut ſi à mendis planè integra, puraq. haberi potuiſſent, in ſuſpicionem falſæ præpoſteræq. interpretationis facile incurriſſent, quibus interpretandi munus commiſſum eſſet. Hæc ſane arbitratur Euſebius Cæſarienſis, cum ijs ferme conſentanea,

Auri, argenti, gemmarum numerus.

Legati duo.

Euſ. lib. 8. ca. 1. Prep. Eu.

nea, quæ proxime dixi. Atque locus quidem diſſerendi pluribus eſt, quò magis eluceſcat diuinum et conſilium, et beneficium: cum non ſolum græca interpretatione, fraudi Iudæorum obuiam itum ſit, ſed maxime conſultum eſt, et prouiſum ſacræ ſcripturæ veritati, quam plane certiſſimam, illi nomini chriſtiano ſempiterni hoſtes; in multas maximaſq. controuerſias ſæpiſſime reuocare quaſi gladiatorio quodam certamine contenderunt. Hebraicis enim litteris conſignata religionis noſtræ myſteria Deus græcis etiam di lucide explicari voluit, vt nulla neque diſſidijs, neque contentionibus occaſio relinqueretur, ſi quæ inter nos atque adeo illos oriri de vera diuinarum litterarum intelligentia poſſent: cuius clariſſimæ veritatis et interpretes diſertiſſimi, et locupletiſſimi teſtes exiſtunt tribus amplius ſeculis, non noſtri, ſed Iudæi ipſi, ijq. non rudes, et ignari, ſed illius ætatis doctiſſimi, non plebeij homines, nec vero vitiorum labe contaminati, ſed lectiſſimi, doctiſſimiq. viri, vt de ijs ipſis loco ſuo longe explicatius infra dicam. At ne præterea tantæ, tamq. ſalutaris plane veritatis margaritas, inquit Nazianzenus, tamquam lutulenti ſues, Iudæi prouoluerent: benignitas diuina perfecit, vt, illis tantorum virorum induſtria illuſtribus redditis, ſanctiora myſteria niteſcerent. Eò ſanè etiam cùm diuina ſapientia ſpectauit, tum vero fidei propagationi proſpexit. Notiſſimum teſtatiſſimumq. erat, vel potius ſummopere deteſtabile ingrati animi crimen, quod ſæpe populus Iudæus admiſerat: cumq. multis, vel acerrimis prophetarum, Eſaiæq. potiſſimum vocibus, reprehenſionum, minarumq. plenis, ad beneficia diuina agnoſcenda reuocaretur, illud demum erat futurum, quod iampridem multis prophetarum vaticinijs ei ſignificatum, atque denunciatum fuit, vt ab illis ſcilicet, ad gentes, fructum ferentes, regnum Dominus traduceret. Cui rei vt viam is aperiret, diuinæ religionis ſacramenta, hebræis litteris tradita, græcis etiam mandari permiſit. Hæc Dei voluntas, hocq. conſilium cum ad alia multa, quæ à ceteris commemorata ſunt,

Euſ. vt ſup. tum ad illud etiam referebatur, quòd is ipſe Cæſarienſis Euſebius præcipue ſcriptum reliquit, nempe vt veræ fidei, religioniſq. doctrina, ac diſciplina ad vniuerſas gentes, et nationes, quarum ferè omnium tum communis græcæ linguæ notitia fuit, atque vſus: Græci autem ipſi, iam poetarum fabulis, quaſi tenebris, circumfuſi, et philoſophorum quorundam inſtitutis, præceptiſq. præpoſtere informati, agnoſcerent denique diuinarum litterarum doctrinam, caſtiſſimamq. eruditionem: rurſuſq. nullam rerum cæleſtium, ac ſempiternarum ignorationis excuſationem haberent. Nam Chriſti Domini Redemptoris aduentus, quem prophetæ ſignificarunt, Danielq. in primis certum eius tempus apertiſſime declarauit, cum propius inſtare videretur: illud omnium populorum gentiumq. ſaluti conducebat maxime, vt quæ ab illis ſcripta erant, omnes non modo hebræi homines, hebraiceq. periti, ſed quicunque toto terrarum orbe erant, ex græco ſermone, quo ferè vbi que gentium, vt paulò ante dixi, vulgo vtebantur, intelligerent, vtilitatemq. ac

Lact. lib. 4. c. 2. diu. inſt. fructum caperent. Sed mirum eſſe poteſt, id quod Lactantius etiã Firmianus accurate animaduertit, cur veteres philoſophi maximo veri indagandi ſtudio incenſi, cunctas prope terras, vel remotiſſimas, Aegyptumq. præcipue peragrarint, in Iudæam autem, quò facilius ire poterant, et vbi præſertim veritatis notitia præclara erat, nemo eorum vnquam acceſſerit. Id quoque Lactantius diuino conſilio factum opinatur: cùm ſcilicet illi haudquaquam optime noſſe veritatem poſſent, quam ſane fas nondum erat: percipere alienæ gentis, nationiſq. exteræ homines, diuina prouidentia à veri cognitione plane auerſos. Theopompus, Theodectes, ceteriq. philoſophi, viri omnino profani, ſcripturam ſacram græce interpretari aliquando conati, non modo id aſſecuti non ſunt, ſed, quod diuinitus euenit, grauiſſimas pœnas dederunt præpoſteri conſilij ſui, quo tam religioſam tractationem perperam, ac deteſtabili animi prauitate aggreſſi ſunt. Nam diuina illa quidem certe eſt, digitoq. Dei exarata,

ideoq.

ideoq. prorſus cùm longe ſanctior, quàm cetera omnia, quæ aliarum litterarum monimentis conſignata ſunt, tum ſanctiſſimam, inquit Hecatæus Abderites, et plane venerandam ab omnibus, colendamq. continent in ſe ſententiam, et contemplationem. Quamobrem cum venit tempus, quo prope inſtare videbatur Chriſti Domini aduētus, ille quidem exoptatiſſimus, vocibuſq. prophetarum diuine ſignificatus: tum demum Ptolomæus rex, qui hebræorum ſcripturam, rem non profanam, neque humanam, ſed ſacram omninoq. diuinam eſſe cognorat, didiceratq. quoſdam, ad græcorum artes, græceq. philoſophandi ſcientiam nimis attentos, prorſus à religione vera abhorrentes, illius interpretationem callide, peruerſeq. aggreſſos, iam male mulctatos eſſe, diuine inflammatus, ex vnaquaque Hebræorum tribu petijt viros ſex, qui vera Dei cognitione, morum integritate, vitæ probitate, ſummaq. præterea eruditione, et hebræa, et græca præcellentes, tantum interpretationis opus recte perfecteq. præſtarent. Id ſane totum iam proxime explicaui dilucide, factum eſſe conſilio Dei: qui tam egregio munere, quod ſumma regis potentiſſimi cura confici voluit, non tantum grauiſſimis malis, inexpiabibuſq. Iudæorum fraudibus prouidit, ſed fidei etiam propagationi, gentiumq. ſaluti præter alia multa, quæ verbis enarrare non queo, maximè conſuluit. Verum iam rem præclare geſtam, quantum in me eſt, longius ego dicendo perſequi, operæpretium cenſui, vt ad aliquem narrationis cumulum pro ingenij mei, quod exiguum eſſe ſentio, tenuitate nihil deſit, quod opus eſſe intelligam. Demetrius Phaleræus, in omnibus litterarum diſciplinis, quæ ad humanitatem, perfectamq. eruditionem pertinent, eximie verſatus, bibliothecæ regiæ præfectus, officij ſui diligentiſſimus, cum acerrimus libris vbique conquirendis inueſtigator fuit, tum maximos illis emendis ſumptus fecit. Innumeras igitur fere voluminum copias cum vndique comparaſſet, ad perfectæ cumulatæq. bibliothecæ laudem, et gloriam valde admodum inſigne fore exiſtimauit, ſi quando li-

Demetrius Phaleræus.

brorum,

Digitized by Google

brorum, quorum exemplaria, aut exempla Iudæi haberent, acceſio ad eam fieri vllo pacto poſſet. Commode igitur, opportuneq. aliquando ſermonem cum rege inſtituit: à quo interrogatus, quàm magnum librorum numerum in vnum congregaſſet, tum quattuor et quinquaginta millia voluminum, atque adeo amplius, inquit: ſed longe plura ſe curaturum reſpondit, cum hebræorum libros ex aliorum et litteris, et ſermonibus animaduerterit dignos eſſe, qui, diligentiſſime exſcripti, in bibliotheca aſſeruētur quàm accuratiſſime. Rex vbi hoc audiuit, repente deſiderio incenſus rei exequendæ, non potuit non accuſare negligentiæ nomine Phaleræum, alioquin ad muneris ſui adminiſtrationem attentiſſimum, qui cum omnem bibliothecæ, et inſtruendæ, et ornandæ, et augēdæ poteſtatem haberet, atque opibus, pecuniaq. abundaret, e Iudæa in primis, quæ ab Aegypto non procul aberat, ſacros codices non conquiſiſſet, conquiſitoſq. non impenſe curaſſet inde quàm celerrime aſportandos. Ad hæc ille, qui rem librariam ſapientiſſime adminiſtrabat, aliqua excuſatione vſus, dixit ad Hebræorum volumina maxime opus eſſe interpretatione diligenti, propterea quòd litteris, rudimentiſq. linguæ, non Syriacis quidem illi vterentur, ſed quibuſdam proprijs, ac præcipuis, longe alijs, planeq. à ſyro charactere diuerſis, et à pronunciatione item, quam etiam propriam ipſi haberent. Tum Rex, quaſi diuina quadam vi intime incitatus, id quamprimum cum ſummo Iudæorum ſacerdote, vt diligentiſſime poſſet, ſe acturum eſſe oſtendit, vt, quæ expoſita eſſent, perficerentur omnino. Eam regij animi certam, et diuino plane conſilio ſuſceptam, vel potius inflammatam deliberationem cum Demetrius cognouit, vt res ita facillime ſuccederet, quemadmodum ſummopere concupiebat, ſociorum ſuorum, vt narraui, Soſibij Tarentini, Andreæ, et Ariſteæ, quos cubiculi cuſtodes Rex chariſſimos habebat, auctoritate adiutus, ſimul cum ijs apte Regi ipſi perſuaſit, illud in primis optimum factu eſſe, vt Iudæis, quos pater partim in colonias deduxerat, partim ſeruituti

Soſibius Andreas Ariſteas.

Conſilium de Hebrais liberandis.

addi-

addixerat, vniuerſis libertatem daret. Quam plane rem, quanto benignius, prolixius, atque cumulatius, quàm illi ſuaſerant, ipſe fecerit, iam eſt pluribus explicatum. Verum deinde, vbi Regi Demetrius ſententiam ſuam, quam paulo ante coram dixerat, per litteras vberius expoſuit, quibus Hebræorum libri, et leges, nimirum diuinitus ſcriptæ, ceteris quàm ſapientiores eſſent, quamq. ſanctiores, demonſtrauit, iam ille, ſponte ſua accenſus, demum eo commendationis officio inflammatior factus, cùm munera, vt dixi, vere equidem regia, ſtatim parauit, quæ Hieroſolymam mitteret: tum principes viros, Andream, et Ariſtæam, qui ea afferrent, et de libris accurate agerent, ad Iudæorum pontificum Eleazarum quam celerrime legauit.

Andreas et Ariſteas, Legati ad Eleazarum pont.

Iam vero de Ariſtæa ſcripſi, quanta apud Regem auctoritate, quantaq. et ſapientia, et eruditione, et inteſtritate vir fuerit: de Andrea, legationis ſocio, idem affirmo, cum ob merita, quibus excelluit, ſummum etiam locum in cubiculi Regij cura, cuſtodiaq. primaria obtinuerit.

Andreas.

Eleazarus autem, ad quem miſſi ſunt, Simonis Iudæorum pontificis, qui egregijs pietatis excultus ornamentis, eam ob rem iuſtus appellatus eſt, frater vere dignus, in illius mortui locum ſummus illorum ſacerdos optimo iure ſucceſſit. Is quàm pius, quàm doctus, atque eruditus, quàmq. præcellentium denique virtutum multarum nomine illuſtris, non modo apud ſuos ciues, verum apud exteros homines extiterit, ex Ariſteæ commẽtario perſpicue manifeſtum eſt: cui et græci ſcriptores, Zonaras in primis, et latini patres, Auguſtinus, ſæpeq. numero Hieronymus, in illius ſunt laudibus valde conſentientes.

Eleazarus.

Zon. lib. 1. An.

Aug. lib. de ciui. Dei.

Hier. in Apol. cont. Ruf.

Cum eo igitur Ptolomæus Rex de Hebræis libris egit et nuncijs, quos commemoraui, et litteris, quarum, vt illarum etiam, quas Regi Eleazarus reſcripſerat, exempla in aliud maiotum lucubrationum tempus reſeruaui. Sed illud hic in dubitationem venit, num vna epiſtola Rex libros ſolos, alteraq. interpretes eorum ſibi dari, per legatos poſtularit: an vero vnis tantum litteris libros ſimul ac interpretes petierit. Certe auctores duo, ijq. viri

Dubij explicatio, an libri ſimul, et interpretes miſſi ſint.

Digitized by Google

Iuſt. in or. ad Ano. Imp. Aug. lib. 18. c. 42. de ciu. Dei. Epip. lib. de pont.

ſancti, Iuſtinns Martyr, et Auguſtinns, eum primò per epiſtolam libros, poſt, legatione miſſa, cùm illos Aegyptij hau quaquam intelligerent, tum demum viros, qui interpretaren tur, petijſſe opinantur. Neque ab ijs Epiphanius diſſentire videtur, qui præcipuam Ptolomæi epiſtolam narrat, qua libros tantum ſibi ille dari poſtulat: eoſq. litteris aureis ſcriptos, duo et viginti, et illos ſane veros, planeq. germanos, alios verò, nempe duo et ſeptuaginta apocryphos cùm Iudæi miſiſſent, quos ne legere quidē, ne dum interpretari homo quiſquam Aegyptius poſſet, altera epiſtola interpretes

Ariſt. initio hiſt. Cle. Al. lib. 1. ſtrom.

eorum ſummopere petijt. Sed porro Ariſtæas, et Clemens Alexandrinus ipſos duos et ſeptuaginta interpretes, ab Eleazaro pontifice miſſos, Regi libros reddidiſſe putant, quos ſecum in Aegyptum auexerant. Itaque hi duo rem aliter exponunt, atque illi ſcribunt: in quorum ſententia ver

Six. lib. 4. Bibl. Vin. lib. 6. c. 85.

ſantur, Sixtus Senenſis, et Vincentius, voluminis magni auctor, quod ſpeculum hiſtoriale inſcribitur. Quocirca de re hac ſatis controuerſa quid omnino ſtatuam, equidem incertus ſum: idq. propterea aliorum iudicio atque arbitrio integram eam relinquo, cum præſertim parum, aut certe nihil in tereſſe videam, hoc, an illo modo factum id ſit. Non deeſt tamen, qui vtrumque fieri potuiſſe exiſtimet, vt ſcilicet, et libros primum Eleazarus miſerit: et deinde alios etiam multo elegantiores in Aegyptum ipſi interpretes ſecum attulerint: cum fortaſſe valde metuerent, vt, qui antea allati erant,

Andrea et Ariſtas legatorum aduentus Hieroſolymam. Bona Eleazaro allata.

codices ne eſſent corrupti ac deprauati. Iam vero ad inſtitutam narrationem redeo. Andreas igitur, et Ariſtæas, quos Ptolomæus Rex legatos decreuerat, demū Hieroſolymam venerūt ad pontificem Iudæorum Eleazarum, cui dona hæc dederunt, phialas aureas viginti, argenteas triginta, crateras quinque, menſam auream, ingenti pretio æſtimatam, vnam, ſuper quam ſacra conficerentur, et talenta præterea auri centum ad vſum alia extruendi, ſi qua opus eſſent ad

Munerum æſtimatio.

templi auguſtiſſimi ornatum. Quorum munerum æſtimatiò tanti fuit, vt Eleazarus frequentiſſimum Iudææ conuentnm

habue-

habuerit,cui non tam Ptolomæi Regis liberalem prolixãq. voluntatem declararet,quam dona miſſa demonſtraret:quæ et maximis etiam ornamentis elaborata, quippe cum ad vnam dumtaxat menſam, gemmarum quinque millia adhibita eſſent,et artificio opereq. exquiſitiſſimo confecta,vſque adeo vt auri,argentiq. ſummam,artificum nauata induſtria, ac ſolertia longe ſuperaret, incredibilem omnibus admirabilitatem excitabant. Quamobrem plauſu,et gratulatione omnium ſingulari,præclaraq.magnificentia legati excepti, rem facillime impetrarunt,cuius cauſa venerant. Cum autem apud Iudæos,vt ex Ioſuæ libro perſpicuum eſt,moris eſſet,legatis creandis ex vnaquaque tribu illos decernere: ea conſuetudine, tum vero Moſis, qui Domini iuſſu, cum ad montem conſcendit,viros ſeptuaginta delegit,exemplo adductus Eleazarus totidem,immo duos amplius elegit, quos in Aegyptum ad Ptolomæum mitteret, cuius piæ voluntati obſequi valde ſtuduit. Nam ex ſingulis tribubus,quæ duodecim omnes erant, ſex conſtituit,eo ſane conſilio, vt ne, ſi forte ex vna quinque, altera ſex viros decreuiſſet, aliquam excitaret tribuum ſeditionem. Itaque delecti ſunt duo et ſeptuaginta:at vulgò tamen, vt breuius loquantur, ſeptuaginta duntaxat vocantur. Qua pari ratione iudices illi Romani,qui ad haſtam iudicio rerum minorum præerant, centum viri appellantur, cum eſſent numero centum et quinque. Sed hoc denique vſu tritum, et latino, et græco ſermone vſurpatum eſt item, vt diſcipuli Chriſti Domini, qui duo et ſeptuaginta erant, nominentur paſſim ſeptuaginta tantum. Sed alio loco id non ſtrictim attigi, verum copioſe ſatis. Qui ergo deſtinati ſunt ab Eleazaro, ex vnaquaque tribu,interpretes hi fuerunt: ex Iuda tribu, Ioſephus, Ezechias,Zacharias,Ioannes,Ezechias,Eliſeus:ex tribu altera, quæ dicitur Ruben, hi, Iudas, Simo, Samuel, Adeus, Matthias, Eſchemias:ex tertia, quæ eſt tribus Gad, Nehemias, Ioſephus,Theodoſius,Baſeas,Ornias, Datis: ex quarta tribu Aſer,Ionathas, Auxeas,Eliſeus, Ananias, Chabrius,Sa-

Viri LXXII. delecti, qui ad Ptolomæum legis interpretes venirent.

Nomina interpretum.

chus:ex quinta, quæ Neptalim vocatur, hi venerunt, Iſachus, Iacobus, Ieſus, Gabateus, Simo, Leui: ex ſexta Manaſſe, Iudas, Ioſephus, Simo, Zacharias, Iaſon, Ieſus, Theodorus, Ioannes, Ionathas: ex Leui, quæ octaua eſt tribus, hi, Theodoſius, Iaſon, Ieſus, Theodorus, Ionas, Ionathas: ex Iſachar, nona tribu, Theophilus, Abraham, Arſamis, Iaſon, Endemias, Daniel: ex decima, quæ eſt Zabulon, Ieremias, Eleazarus, Zacharias, Bancas, Eliſeus, Datheus: ex Ephraim vndecima, Samuel, Ioſephus, Iudas, Ioathes, Cabel, Doſitheus: ex Beniamin, quæ duodecima eſt, Iſaelus, Ioannes, Theodoſius, Arſamenes, Abiethas, Ezecelus. Hi igitur duo et ſeptuaginta viri, quorum nomina ex Ariſtæa recenſui, fuerunt ſuæ quique tribus omni laude præſtantiſſimi. Primo enim claris orti parentibus, pie admodum educati, atque ad omnem diſciplinam, doctrinamq. eximie eruditi, non hebraice ſolum, ſed chaldaice, græceq. norant optime. Vera in primis Dei cognitione, diuinarumq. rerum ſcientia exculti, Hebræorum magiſtri, doctoreſq. habiti ſunt omnium iudicio, Græcorum autem mores, ſtudiaq. cognita, atque explorata habuerunt diligentiſſime. Erant porro ad omnes de lege diſputationes explicandas bene nauiterq. inſtructi, et in rerum maximarum cognitione, atque vſu ſolertiſſime verſati. Itaque cum in patria, ſingularis et ſapientiæ, et virtutis ſpecimen ciuibus perpetuò dederunt: tum in Aegypto, quæ de ſe concitata erat omnium ſumma expectatio, hanc præclare vicerunt. Neque enim ſolum reliquis Aegyptijs, ſed Ptolomæo in primis Regi, vt Ioſephus Hebræus narrat, ſatisfecerũt cumulatiſſime, præſertim cum tam ſcite, litterate, cõmodeq. ad duas illas, et ſeptuaginta quæſtiones reſpondiſſent, quas partim de cognitione Dei, partim de adminiſtratione regni Rex propoſuerat: qui, recte imperandi cupidus, more optimi principis, etiam in conuiuio, quod ijs regie apparari iuſſerat, de rebus tam grauibus illos diſſerentes, atque adeo præcipientes, audire voluit. Tam egregie igitur ipſi inſtituti, præclareq. docti, eam præterea diſciplinam

Ariſt. initio hiſt.

Viri LXXII. omni laude florentes

Ioſep. lib. 12. c. 12. an. in.

vi-

vitæ,ac modum conſectabantur,vt ab acerbitate, ac barbarie animi,incommodiſq. moribus alieni,non arroganter elati,non inflati opinionibus, cum recte, moderate, ordineque cuncta gererent, viris ſummis, medijs, infimis ſe probarent omnibus. Quamobrem nullum rei Iudaicæ publicæ negotium fuit,ad quod vel ſuſcipiendum,vel conficiendum idonei non eſſent: nullaq. legatio, quam, cum vſu venit, non obierint ſumma cum laude. Id autem ætatis erant, cum in Aegyptum venerunt, vt ſenes grauitatem præ ſe ferrent maximam. Hos Eleazarus, qui eorum potiſſimum conſilio nitebatur,eximie dilexit:ideoq. de illorum reditu vehementer ſollicitus,non tantum cum Rege litteris egit, ſed etiam legatis, Ariſteæ,et Andreæ id negotij in primis coram impoſuit, vt cum primum fieri poſſet, Hieroſolymam ipſi remitterentur. Et quoniam res, quæ agebatur, grauis erat, et ſeria: noluit is, cum pontifex eſſet, illos ante abire, quàm ſolemniter de more ſacrificaſſet. Quo ſacrificio confecto,munera etiam adornauit, quæ Ptolomæo Regi mitteret. In ijs porrò donis,erant præter cætera quæ admirabilia videbantur,pelles etiam variæ:in quibus lex ſermone hebræo,literis aureis perſcripta, mirifice ſplendeſcebat: earum autem mēbranæ,miro etiam opere,miraq. arte ælaboratæ,ita fuerant compoſitæ,vt oculis diſcerni compoſitio non poſſet vllo quidem modo. Tales igitur viros,quales modo narraui, optime inſtitutos, perfecte doctos, rerum vſu litterate peritiſſimos, ætate graues, qui ſacros libros in græcum ſermonem ex hebræo verterent,ad Regem Aegypti Ptolomæum miſit Iudæorum pontifex Eleazarus. Cuius rei vetus opinio eſt, iam inde ab vltimis illis ducta temporibus, eaq. non ſolum latinorum, et græcorum, verum etiam hebræorum firmata conſenſu. Et græci quidem, ac latini huius ipſius rei auctores, non ſane illi inferioris ætatis ſunt, ſed quos vetuſtiſſimos habemus religionis Chriſtianæ interpretes,et teſtes, Iuſtinum philoſophum, Irenæum,Tertullianum,et alios,quos ſupra ipſe commemoraui. Nec vero obſcurum eſſe poteſt,

Ariſt. initio hiſt.

Donorū apparatus.

Librorum exquiſita elegantia

Vetus opinio de Bibl. hebræis, græce verſis.

quod ex hebræis Philo, et Ioſephus ea ipſa de re ad poſteritatem litteris prodiderunt. Immo vero, quæ ſit iam olim frequentiſſimæ Iudæorum ſynagogæ opinio, teſtimonium non dubium Rabini dicunt, quibus ad legis interpretationem iſti vtuntur. Ii ergo viri duo, et ſeptuaginta demum cum regijs legatis Alexandriam incolumes venerunt: vbi cum eorum aduentum Ptolomæus Rex auidiſſime expectaret, immortali gaudio affectus ex rei euentu, quæ ſibi optatiſſima contigerat, non potuit præ lœtitiæ voluptate lacrymas continere. Illi autem vbi quinto poſt aduentum die in Regis conſpectum, cum ſumma omnium gratulatione, plauſuq. populari, perducti ſunt, primò inuolutos libros, quos religioſe attulerant, patefecerunt, atque explicatis ſigillatim membranis aperuerunt. Eos porro Rex conſpicatus non ſine præcipua quadam veneratione, haud equidem paulisper, ſed diu conſtitit: nec vero ſemel, atque iterum, ſed ferme ſepties magnas his viris gratias egit, at maiores ei, qui ipſos miſerat, maximas autem Deo, cuius ea erant diuina reſponſa. Poſt, arctiſſime eoſdem complexus, illum diem in ſingulos annos, toto vitæ ſpatio, ſibi iucundum ſolemnemque fore oſtendit, cum ob victoriam de Antigono partam, tum maxime quia eo ipſo die tàm præſtantes viros, quorum beneficio vti frui iamdiu ſumme concupierat, tandem ad ſe aduentaſſe cerneret. Epulas præterea conquiſitiſſimas illis apparare voluit, quas Dorotheus, ſummus rei cibariæ curator omnibus rebus opipare inſtruxit. Ad quam ſane epulationem, vere quidem regiam acceſſit ſuauitas ſermonum, et quoddam quaſi condimentum ſummarum illarum quæſtionum, quas, vt dixi, à Rege ſingulis ordine propoſitas, tam belle explicarunt, vt quaſi ſuauiſſimo cibo explerint omnium animos. Et vero ad benignam prolixamq. Regis voluntatem, cumulatamq. liberaliſſimi animi teſtificationem neque etiam defuit eximius domiciliorum apparatus, quæ prope palatiū regium, atque adeo, vt Ioſepho placet, in ipſo palatio illos laxe magnifi-

Ptolomæi Regis lætitia ob aduentum LXXII. ſeniorum.

Gratiarum actio regis.

Dies ſolemnis decretus aduentus. LXX.

Conuiuium regium.

Domiciliorum apparatus.

ceq.

Digitized by Google

ceq. habitare voluit. Atque hæc quidem breuiter de benignitate, qua primum tantos viros Rex excepit. Nunc demum ad narrationem venio, quæ græcam Bibliorum interpretationem, ab jis diuinitus confectam, proxime attingit. Eſt Pharus inſula, ſtadijs prope ſeptem ab vrbe Alexandria diſtans, vbi deinceps ij ſeptuaginta duo viri interpretationis græcæ cauſa domicilium à Rege acceperunt, in totidem paruulas ædiculas, aut cellulas diſtinctum, vt eorum numerus erat. Quarum ædicularum veſtigia, cum forte aliquando in ea vrbe eſſet, ſe vidiſſe narrat Iuſtinus Martyr, e noſtris eruditiſſimus, et cum primis vetus, ac luculentus ſcriptor: idemq. de incolis, tamquam a maioribus, acceptam rem audijſſe teſtatur. In quam opinionem etiam illud pleroſq. omnes confirmat, quod certis litterarum monimentis proditum eſt, Iudæorum moris olim fuiſſe, quotannis Alexandriā eos aliquot ad Pharum inſulam poficiſci, vbi duas, et ſeptuaginta illas ædiculas religioſe inuiſerent. Ac præterea de ijſdem ædiculis cum Iuſtino aſſentiuntur multi, et ij quidem grauiſſimi, eruditiſſimiq. auctores, tum græci, tum latini, hiq. inprimis, Irenæus, Origenes, Tertullianus, Hilarius, Rufinus, et Diuus Auguſtinus, qui toto hoc in genere ab ſancto Hieronymo differre quodam modo videtur. Hic vnus eo tantum nomine, quod neque Ariſtæas, ipſius Ptolomæi regis Hyperaſpiſtes, qui rem totam conſcripſit, nec longo poſt tempore Ioſephus Hebræus cellularum meminit, longe ſecus, atque illi, et reliqui omnes, opinatur: immo vero id omne, quod ad illas attinet, confictum eſſe ſcribit, et tanquam perſpicue falſum ridet: et fabulis, non re, illas fabricatas eſſe ait. Denique Epiphanius Cyprius, non ille quidē ſingulos, ſed certe binos, in diuiſis conclauibus diſcluſos, operam interpretationi dediſſe ſcribit. Idq. etiā Iuſtinianus ſanciuit ſuis nouellis conſtitutionibus. Res igitur eiuſmodi eſt quæ non leuem habet quæſtionem, et in vtramque partem diſſeri poſſe aliquo modo videtur. Ego ſane vero, vt eſt, rem commemoraui, plenam diſſenſionis: conſtituere tamen quic

Interpretatio Bibliorū, quo loco facta.

Aedicula. LXXII.

Iuſt. in Paran. ad græcos.

Diſputatio de cellulis. 72.

Iren. lib. 3. cont. hær. ca. 23.

Hil. in pſ. 2

Tertull. in Ap.

Ruf. in Apol. cont. Hier.

Aug. lib. 10 c. 45 de ciu. Dei & lib 2 c. 15. de doc. Chr.

Hie. in proœ. pent. in Ezech. c. 5. in vict. c. 2.

quam

quam non audeo. Nam et ſi contrariarum ſentẽtiarum, quæ plures ſunt auctoritate ipſe Hieronymus vincitur, atque ea præter ceteras ratione potiſsimũ, quod Ptolomæus Rex, velut is, qui et ſua ſponte, et Demetrij Phaleræi adhorationibus cum eſſet ſummo veri cognoſcendi ſtudio incitatus, illos dedita opera ſeiungi voluit, ſeorſimq. in interpretationem incumbere, ob eam præſertim cauſam, vt ne communicarent inter ſe, remq. vllam de induſtria occultarent: nihilo minus tamen ponderis, ac momenti eſt, quod ab erudito quodam viro maximum æſtimatur, illud, quo ipſe nititur, teſtimonium Ariſteæ: vt pote qui vnus rei iſti præſens adfuit, quiq. primus, vt acta eſt, litteris conſignatam, poſteritati tradidit. Eſt idpropterea aliquis, non contemnendus eccleſiaſticarum rerum interpres, licet inferioris ætatis ſit, qui in ea opinione ſe eſſe mauult, vt de cellulis his rem totam confictam putet à Iudæis: nimirum qui cum iam olim eſſent in iſtiuſmodi commentis toti, facile potuerunt, qui præſertim tũc Alexandriæ habitabãt, Iuſtinum ipſum, cui aduerſus et hebræos, et gentes auctoritate græcæ illius interpretationis continenter pugnandum erat, commonſtratis quibuſdam veterum ædificiorum obſcuris parietinis, eo inducere, vt illud crederet, quod iſti ab ſuis maioribus acceptum non modo credebant, ſed eius etiam memoriam, gentili quadam ſuperſtitione, colebant anniuerſaria celebritate, quemadmodum ait Alexandrinus Philo. *Philo. in vit. Moſ.* Næ iſtius quidem veriſimilis quodam modo videtur, ſed plane commentitia, futiliſq. opinio eſt. Nullo auctore, nullo teſte vtitur: aperte aduerſatur teſtimonio Iuſtini tanti viri, præclari martyris, egregij philoſophi: quem, cum in omnis philoſophiæ et ſtoicæ, et platonicæ, et ariſtotelicæ curriculis diu impreſſa ſatis atque ſatis veſtigia ipſe habuerit, minime probabile eſt, neque adeo verum, iudæorum nugis, falſiſq. fabellis potuiſſe vnquam decipi, philoſophum ſcilicet grauiſſimum, veri indagandi ſtudio incẽſum, ſacræ doctrinæ, quæ per ſe clariſſima luce ſplendeſcit, gloriam illuſtrare conantem diuinæ veritatis ſenſibus.

Com-

Digitized by Google

Commentum igitur,quod iſte recens attulit,haudquaquam
placet:neque eſt,cur placeat, aut probetur cuiquam, recte
ſapienti; cum teſtatiſsima res ſit, Iuſtino aſſentiri Irenæum,
et Irenæi non modo ſententiam, ſed verba ipſa conſectari
Clemẽtem Alexandrinum. Atque hi quidem ambo id inſu-
per addunt, interpretationem iſtam ſeptuaginta virùm eſſe
veluti græcam prophetiam,aperte de Chriſti Domini myſte
rijs loquentem. Sed hæc loco ſuo diſſeram. Nunc ſane ve-
ro illud omnibus perſuaſiſſimum eſſe optimo iure debet,
Origenem,Tertullianum,Hilarium,Euſebium, Chryſoſto-
mum,Theodoritum, Rufinumq. à Iuſtino ſtare:cuius etiam
de re teſtimonium omnes noſtros tam veteres, quàm recen-
tes chriſtianæ religionis interpretes ſequi,perſpicue manife
ſtum eſt,vnum dumtaxat Hieronymum excipio,et alterum,
quem modo nominaui,recentem plene ſcriptorem. Vincat
igitur hæc longe plurium auctoritas, vel potius veritas, cui
et ratio,et pietas etiam,vt proxime exponam, palam ſuffra-
gatur. Sed faciamus eſſe, controuerſiam iſtam inter duos
tantum extare,ſanctos,doctoſq. viros,Hieronymum, et Au
guſtinum:an non huius potior,quàm illius cauſa et eſt,et vi
detur,cum non modo omnibus antiquitatis monimentis,ta
buliſq. liquido conſtet,ſed etiam in omnes partes ſapientiſ
ſimorũ hominum iudicio,maxime vtilis ſit ad omne catho-
licæ veritatis patrocinium? Neque præterea Iuſtinus, tan-
tus vir,qui in hac cauſa maximam ſummorum patronorum
quaſi familiã ducit, vllis Iudæorum fraude excogitatis ani-
libus ineptijs in errorem induci poterat, nimirum non ſo-
lum quia philoſophorũ principum,vt dixi,preceptis,inſtitu
tiſq.tamquam firmiſſimis præſidijs,bene ſeptus,et munitus,
à veri iudicio dimoueri non facile poterat:ſed quia certiſſi-
mum habebat opinionis ſuæ auctorem,Philonem,non par-
uo temporis interuallo vetuſtiorem: qui cum ſcribat ſenes
illos ſeptuaginta, tanquam diuino afflatu, protuliſſe non
alia alios,ſed eadem omnes tum nomina, tum verba: non
aliud is ſignificare, atque adeo declarare videtur, quàm il-
los,

Commẽtum, recentis auctoris exploditur.

Interpretatio lxxij. græca prophetia

Cauſa Auguſtini potior.

Iuſtinus mar. defenditur.

Digitized by Google

los,in diuerſis conclauibus incluſos,eadem diuinitus,mirabiliterq. ſcripſiſſe. Ob cuius rei admirabilitatem Iudæos Alexandrinos, vt mox dixi, illorum memoriam ipſe item narrat coluiſſe anniuerſario die feſto, qui dies fuit VI. Idus Decembris. Non erat autem, quamobrem diem iſti ſolemnem agerent,niſi rei admiratione commoti, cuius exiſtimatio erat ex diuerſis illis cellis nata, et conſentienti omnino interpretatione,quam paulo infra teſtatam faciam,vt res totam in apertum proferatur. Sed,cum vna hæc ſit noſtrorum hominum opinio,valde etiam atque etiam confirmatur monimentis aduerſariorum,nempe Hebræorum, quorum vniuerſa ſchola de re hac itidem ſentit,vt Iuſtinus, ceteriq. omnes. Etenim illi,iamìnde à Conſtantio Imperatore vſque ad Iuſtiniani Auguſti tempora,cum diligentiſſimam diſciplinis Iudaicis interpretandis operam nauarent, vt ſynagogæ rationibus conſulerent, hoc,quod etiam à maioribus acceperant, de diuerſis ædiculis,in quas illos LXXII. viros Ptolomæus incluſerat,plane teſtatum faciunt: idq. præterea addunt,regem illum,ad ſingulos ingreſſum, aperuiſſe ſeparatim, quanto interpretationis perficiendæ deſiderio teneretur. Teſtimonium hoc, quòd aduerſarij dicunt, eoq. fauent cauſæ noſtræ, quantopere ad veritatem ſuffragetur, oſtendunt Rhetores,et philoſophi, præſertimque Ariſtoteles,atque vſus ipſe neceſſario demonſtrat. Atqui omnium noſtrorum item opinioni aſſenſum quodam modo præbere videntur veteres illæ Synagogæ, quæ eam perpetuam habuerunt annorum octigentorum conſuetudinem,fortaſſeq. diuturniorem, vt ſeptuaginta virùm biblia græca non in Aegypto ſolum,Syriaq.ſed toto orbe legerẽt palam,ac publice, cum græca nota eſſent omnibus fere gentibus, hebręa ſuis tantum,ijſq.exiguis finibus continerentur. In omni autem ſynagoga vulgo ea græca legi demonſtrat antiquiſſimus auctor Tertullianus,qui hoc etiam ætate ſua vſitatum fuiſſe narrat,id ipſumq. martyr Iuſtinus teſtatum facit. Immo vero Philo Iudæus,magnaq. apud populum Iu-

Dies anniuerſarius interpretationis, 6. Idus Dec.

Iudæorum opinio de cellulis 72

Biblia græca annis amplius octigẽtis in omni Synagoga publice lecta.

dæum auctoritate, homo Alexandrinus, nimirum qui luculentus teſtis cum ad anniuerſarij illius feſti diei celebritatem, ac propterea ad hac, quæ pene omnium auctoritate aſſeritur, ædicularum diuiſionem adhibitus eſt, tum etiam ad cetera eius generis recte adhiberi poteſt: is ſcilicet cum opera ſua hebræis ſcriberet, ſingulis partibus interpretationem præſcripſit, quam ab ſeptuaginta ijs viris accepit. Hic porro et publicus, et priuatus bibliorum græcorum vſus, moſq. tamdiu vſitatus, nihil aliud pene loquitur, vel potius ob oculos ponit, niſi quod conſtanti aſſeueratione dicitur de ea ædicularum diſtinctione, qua factum eſt; vt admirabilis et diuina omnibus viſa ſit eorum interpretatio, quippe cum tam ſeparatim illis cellulis ipſi diſcluſi, ne puncto quidem, ne dum verbo, aut ſententia ſacris libris vertendis diſſenſerint. Vulgata igitur bibliorum lectio apud hebræos, interpretatio quidem græca fuit lxxij. virum: idq. maxime ob eam cauſam, quia, cum ſeparatim idem ſcripſerint, interpretationis opus viſi ſunt diuino ſpiritu confeciſſe mirabiliter. Nam ea ſublata ſeparatione, vnde tanta in græce vertendo, tamq. miranda conſenſio extitit, nihil eſſe poteſt, quod mirum eſſe queat. Quamobrem græcis etiam biblijs honos is habitus eſt, vt vniuerſa ſynagoga diris execrationibus deteſtata illum ſit, ſi quis eam interpretationem corruperit, aut violarit. Iudæi autem, vt ex Ariſtæa et Ioſepho animaduerti poteſt, cum Demetrium Phaleræum, eius rei maximum auctorem, tantopere publice, priuatimq. collaudarint, id certe effecerunt, admiratione obſtupefacti, quod homines, inter ſe ſegregati, tam præclare de omni vel minima re conſenſiſſent. Atque ab hanc quidem ipſam cauſam poſtea in Iudæorum animis illa opinio ita alte radices egerat, vt, cum aliæ multorum, velut Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, ceterorumq. interpretationes, et illæ quidem aliquæ interdum ad perfidiam iudaicam accommodatæ, in certamen acerrimum, et diſcrimen illi veniſſent, eam tamen retinendam plerique omnes cenſuerint. Qua in ſententia ſibi *Vulgata Bibliorum lectio.*

 conſtan-

Digitized by Google

Inſt. nouel. conſt. 146.

conſtantes vſque adeo fuerunt, vt aliorum, contra ſentientium, contentione pertinaci hanc cauſam defenſam, Iuſtinianus Imperator, auguſtiſſima auctoritate tranſigere, atque deffinire neceſſe habuerit. Is autem, re ſapientiſſimorum virorum ſtudijs, arbitrioq. permiſſa, de eorum conſilio, Iudæos inter ſe pugnantes damnauit, et græcæ huic interpretationi maximopere, et optimo iure fauit, ſingulari edita nouella ſanctione, qua nullum deinceps locum reliquit controuerſiæ, neque ceteris dubitationibus, ſi quæ incidere poſſent: quas tamen nonnullas fert iam tempus, vt, quantum in me eſt, pro ſuſcepti argumenti ratione aliquando locis ſuis explicem dilucide. Nec vero ſane item aliorſum, quàm ad illud plane, quod perpetuis rationum momentis iam hoc loco confirmare conor, ſpectat illa diligens græcæ interpretationis cuſtodia, atque aſſeruatio, quam Tertullianus, et Græci, in quibus Chryſoſtomus eſt, teſtatam faciunt. Quod ſi Dei conſilio factum eſſe iam demonſtrauimus, vt Rex tam valde a religionis veræ ſacramentis auerſus, Ptolomæus, nominis Iudæi hoſtis, codices ſacros, litteris hebræis traditos, græce reddendos eſſe, tantis impenſis curarit, id quod in ſingulari miraculo, quemadmodum dixi, et eſt, et habetur: næ hoc certe diuina etiam voluntate, conſilioq. perfectum mirifice videtur, vt locis inter ſe diſtinctis collocati interpretes, vno ſpiritu, vno animorum conſenſu, vna plane explicatione, ne minimum quidem diſcrepanti, ſed prorſus conſentanea, idem vnumq. ſcriberent, quo religionis veræ fideiq. myſteria, ita mirabilem in modum explicata, atque illuſtrata, ſplendidius niterent in tãtis tenebris: quibus et pertinacium Iudæorum mentes aliquando obcæcatæ, et græcorum animi circumfuſi, et reliquæ barbaræ nationes erant tam tenebricoſiſſimo tempore plane obductæ, et quadam obſcuritate inuolutæ. Sed de ædicularum diſtinctione iam ſatis demum ſint, quæ expoſui, cum ſatis ſuperq. eſſe debeant ad rei perſe dilucidæ veritatem, præſertim quoniam nequaquam coniecturæ ſunt, quæ vlla ratione nitantur,

tur,ſed certiſſimæ priſcorum ſcriptorum,apoſtolicis temporibus æqualium, aut ſaltem ab eorum ætate recentium auctoritates,eæq. maximi ponderis et momenti,luculentis rationum argumentis commonſtratæ, et perpetuæ traditionis vſu, quaſi præſidio firmiſſimo communitæ, ita vt quæ ſanctus Auguſtinus eo de genere tradiderit,eadem Eugyppius Abbas,Beda,ceteriq. qui illius diſciplinam ſecuti ſunt, litterarum monimentis conſignent: planeq. itidem Græci faciunt,vt, quæ videlicet veteres patres Græciæ de ea ipſa re prodiderunt, illa ipſa, ab ijs accepta, exponant, Cyrillus Hieroſolymitanus, Euthymius,Theophylactus, Procopius Gazæus,reliquiq. deinceps omnium ætatum. At dicet quis, ſacroſancta diui Hieronymi auctoritas maximè obſtat. Id certè verum eſt. Sed, ſalua fide, pluris eſſe debet omnium, idem aſſeueranter,luculenteq. dicentium,opinio et ſententia,quàm vnius tantum, qui præ hebraici ſermonis ſtudio, græcæ interpretum ſeptuaginta verſioni parum aliquando fauere videtur: idq. non illorum culpa, ſed vitio quorundam imperitorum hominum,et nonnullorum etiam Iudæorum, qui octigentis illis poſt annis, quibus eam ſynagoga omnis ad vſum publicum, priuatumq. adhibuit, cum eſſet cautum lege iudaica,vt nihil publice vſquam legeretur, niſi hebraice, tunc,quaſi phalange facta,hoc valde omni impetu conati ſunt,vt græca interpretum ſeptuaginta biblia, cõtaminarent,deprauarent,corrumperent,delerent, euerterẽtq. omnino. Nã is ipſe Hieronymus ſanctiſſimus, et doctiſſimus item,aperte palamq. teſtatus eſt,ſua memoria tot pene fuiſſe illius interpretationis exemplaria,quot codices:et vnum quemlibet pro ſuo arbitrio vel dempſiſſe, vel addidiſſe, vel mutaſſe,quod ei viſum eſſet. Eſt ergo cauſa, cur tantus vir interdum non ijs facile aſſentiatur, quæ ceteri de illis ſcribunt. Verum ſi quando quempiam non commonet vel tam veterum,atque grauium auctorum,longeq. plurium,quorũ magnam partem memini,teſtimonium, vel rationes teſtatiſſimæ: at ſane omnino commouere debet maiorum pietas,à

Scriptores inferioris ætatis idem, quod antiquiores ſentiunt de cellulis.

Reſpõdetur auctoritati S. Hieronymi.

Cauſa, quamobrem S. Hieronymus aliquando non faueat interpretationi LXXII.

quibus veritatis catholicæ lucem hauſimus, atque accepimus. Ij partim Apoſtoli, partim Euangeliſtæ, partim viri Apoſtolici, qui omnes ſanguine profuſo doctrinam conſecrarunt, partim ſanctiores, quas diuus Auguſtinus appellat, eccleſiæ, frequentiſſimiq. denique patrum œcumenici conuẽtus, Niceæ, Conſtantinopoli, Chalcedone, Epheſiq. præclare contra nefarios impiorum hominum conatus recte ordineq. habiti, illud interpretum ſeptuaginta opus adhibuerũt ad firmiſſimum rerum noſtrarum præſidium. Quo fit, vt cunctis notiſſimum, exploratiſſimumq. ſit, quod hic tantopere affirmare contendo de ea interpretatione: quæ cum diuinitus cõfecta ex perpetuo illorum vſu exiſtimetur, id quidem ex multis alijs argumẽtis, at certe ex eo etiam, quòd tot homines, inter ſe ædiculis locisq. totidem diſcluſi, interpretando mire conſenſerint. Hoc rei admirabilitatem facit: quoniam ſi vnum in locum cõcluſi, hoc præſtitiſſent, nihil plane mirum eſſet, cum rem illos inter ſe accurate communicaſſe, omnes ſine dubio putaſſent. At miraculum, vt ſæpius, quod vſu venit, vtiliter repetam, hoc ſingulare fuit, quòd ſuo quiſque loco ſeparatus, non ſolum ab alio quicquam diſſentiat, ſed ita prorſus conſentiens ſit, vt, re poſtea diligẽtiſſime collata, omnes ij ſdẽ et verbis, et ſententijs, coagmentationeq. vocum eadem, et vna ſane ordinis ratione interpretati ſint. Neque eſt, cur hoc quiſquam inficietur: teſtatum faciũt duo clariſſimi auctores, ijq. homines hebræi, Ioſephus et Philo: confirmat autẽ plane Tertullianus, antiqua eruditione vir, ſed multo ante Menedemus philoſophus: qui acerrimus diuinæ prouidentiæ patronus, et vindex, ſuſpexit, atque admiratus eſt tam mirificum eorum in interpretãdo conſenſum, et plane concentum. Et quamquam illius philoſophi ſententiam Ioſephus de alia re interpretatus eſt: tamen in ea opinione eruditiſſimus quiſque verſatur, vt ille de ſingulorum ſeptuaginta virum interpretatione, cum ceteris conſentiente, dicat. Hæc ſane admirabilis illorum conſenſio, quam cõmunionem Tertullianus, nimirum omnibus partibus cõſen

Verſio lxxij. ab Apoſtolis, Euangeliſtis, viris Apoſtolicis concilijs, et a patribus vniuerſis probata.

Mira conſenſio LXXII interp.

Menedemus philoſophus apud Tertullianum in Apol. c.

taneam interpretationem vocat, id facit in primis certe, vt omnium opinio ſit, et illa quidem cum pietatis ſtudio coniunctiſſima, eos ſpiritus ſancti lumine illuſtratos, græce conuertiſſe illos ſacrarum litterarum libros. Id ſanctus Hieronymus ipſe fatetur, qui ob cauſam, quam attuli, aliquando verſioni ſeptuaginta interpretum ſuffragari non videtur. Qua in re etſi interdum contra ſentit, vt pote in præfatione, qua ad pentatheucum vſus eſt, alioq. item loco: tamen in altera, quam in paralipomenis ſcriptam reliquit, locisq. ſexcentis alijs, luculente teſtatur, eos ſpiritus ſancti afflatu græce reddidiſſe, quæ e biblijs hebræis verterunt. Itaque demum ab ea ſententia diſceſſit, quam antea ſecutus eſt: planeq. aſſentitur ſancto Auguſtino, a quo antea diſſenſerat. Fuit inter hos duos eruditiſſimos eccleſiæ doctores, itidemq. ſanctiſſimos, magnum de tota hac interpretatione certamen, magnaq. controuerſia, ijs quæſtionibus implicita, quas explicaui. Non enim inter eos aliquando conueniebat, neque de cellularum ſeparatione, neque de miraculo, quo apparuit, præſentia ſpiritus ſancti in conſenſione interpretationis: in qua, vt ipſius Auguſtini verbis vtar, os vnum tot hominum fuit, nec vero de librorum, qui græce verſi ſunt, numero: ſed de ea cellularum diſtinctione, cuius hiſtoriæ auctores, teſteſq. clariſſimos, omniq. exceptione maiores, idem Auguſtinus habuit, immo omnes eccleſias pro certo illam habere affirmauit, iam ſatis equidem dixi. Miraculum etiam mox pluribus oſtendi: afflatu autem Spiritus ſancti ab illis ſcripturam verſam eſſe, iam dicere aggreſſus, id etiam operæpretium duxi explicare dilucide. Poſitum igitur ſit, veteres patres, quotquot illi ſunt, omnes, tamquam vna animorum conſpiratione ſenſiſſe, vnoq: ſtudio tradidiſſe, ac teſtatum feciſſe, interpretationem ſeptuaginta ſeniorum ſpiritus ſancti inſtinctu præſentiaq. contextam eſſe. In græcis ſunt, hi, Iuſtinus in Apologetico, alijſq. libris, Alexandrinus Clemens in opere ſtrom matum, Origenes cum in omni lucubratione, tum maxime

SS. Auguſtini, et Hieronymi conſenſus.

De quibus SS Auguſt. & Hieronymus non conſenſerunt in verſione LXXII.

Diuini Spiritus afflatu LXXII. interpretati ſunt ſcripturam.

in

in epiſtola ad Africanum: Epiphanius ſemper in diſputationibus contra hæreticos, præcipueq. in extremo libro, Chryſoſtomus ſæpenumero, præſertimq. in homilijs multis et Cyrillus Hieroſolymitanus cathecheſi, quarta, Gazæus Procopius, ceteriq. omnes. Euſebius autem, qui alijs interpretibus, Aquilæ, Theodotioni, Symmacho plus, quàm par eſt, fidei adhibuit, quamuis iſtis ſeptuaginta viris non multum tribuat, tamen eorum verſionem, diuino conſilio, diuinoq. ſpiritu factam eſſe, aliquando fatetur. Latinorum vero nemo eſt, qui id neget: ſed cum Hilarius, Ambroſius, ſancti viri, et alij hoc nõ obſcure dicere videantur, tum apertiſſime omniũ, libris et de ciuitate Dei, et de doctrina Chriſtiana ſanctus Auguſtinus locutus eſt. Is alijs etiam locis inſtat, et vrget diuum Hieronymum, contra ſentientem: idq. facit omni argumento, eoq. potiſſimum, quòd Apoſtoli, euãgeliſtæ, ac ſanctiores eccleſiæ adhibuerunt interpretationem ſeptuaginta, vt latius infra ſcribo. Alijs rurſus argumentis etiam ſi Hieronymus contra ita vtatur, vt ceſſerit Auguſtinus, quippe cum ad omnes fere tractationes vtramque adhibuerit interpretationem, et græcam, et hebræam, ab illo conuerſam: nihilominus is ipſe, qui vnus græcæ interpretationi refragatus eſt, in eam tandem ſententiam venit, vt Spiritu ſancto plenos illos ſeniores ſeptuaginta dixerit, diuinitus ſcripturam conuertiſſe. Itaque inter quos aliquid fuit ea de re diſcriminis, aut contentionis, ſumma demum conſenſio extitit, neque eorum ſolum, ſed cunctorum etiam vt dixi, patrum antiquorum. Immo vero, ne Philo quidem, homo hebræus, non modo non diſſentit, ſed eſt huiuſce opinionis auctor vetuſtiſſimus. Iuſtinianus autem Auguſtus, id quod ſemel atq. iterum attigi, cum rem totam huius generis, tum hanc partem ſanctione ſua conſtituit. Et vero, quòd caput eſt, ſummus, pontifex, beatiſſimus Gregorius Magnus eandem interpretationem, diuine factam, comprobauit: ſiquidem in epiſtola, ad Leandrum Epiſcopum ſcripta, ſe ea vti velle dixit, atque adeo vſus eſt, propterea quia

Euſ. Caſ. plus tribuit alijs interpretibus, quam lxxij.

Philo in lib. de vit. Mo.

Iuſt. nou. conſt. 146.

S. Gregor.

ſedes

Digitized by Google

ſedes Apoſtolica,cui præerat,plane vteretur. Sed hæc hacte nus,cum iam inter omnes conueniat, quod multis verbis diſſerui. Illud nihilominus tamen ſolum addam, Spiritus ſancti præſentia eos tantum interpretationis opus perfeciſſe cum id quoque mirabile admodum fuerit, tam exiguo,breuiq. tempore,nempe duorum et ſeptuaginta dierum ſpatio, illud totum confectum reddidiſſe. Neque enim Hæbræi audiendi ſunt, qui in ea opinione fixi hærent,vt credant quinque dumtaxat libros Moſis eſſe ab illis conuerſos. Conſequens eſt igitur,vt ad librorum,quos interpretati ſunt, numerum veniam.Qua de re omnis oritur altercatio ab aduerſarijs quos dixi, iudæis hominibus:qui Ioſephi, iudaicarum rerum ſcriptoris,auctoritate,Ariſtææq. Aegyptij teſtimonio confiſi, id audent. At iſtorum,quorũ tam eminet audacia,atque proiecta eſt, haud equidem difficile,operoſumq. vnquã fuit, non modo huius confidentiæ,vel potius mendacij, ſed omnis eorum perfidiæ, et improbitatis tela retundere. Iamdiu porro eſt, quod iſti, eorumq. in primis magiſtri, Talmudiſtæ præſertim, homines toti ex fraude ac dolo compoſiti,ſuis illis talmudicis libris,quos nefarie vitioſeq. ſcriptos, et omnibus non modo mendatiunculis, ſed magnis, impudentibuſq.mendacijs non tam aſperſos,quàm omnino refertos eſſe vnuſquiſque noſtrum intelligit,rem iſtiuſmodi,quæ perſpicue falſa eſt,vt cetera ſolent, impudentiſſimo ore confinxerunt. Sed virorum ſapientum, qui eruditione ſacra excellunt, rerumq. hebræarum vſu litterate peritiſſimi videtur,ſtudijs ac doctrinis iampridem ſunt non tantum eorum exploſæ, repudiatæq. iſtiuſmodi opiniones, ſed ſanctiſſimo eccleſiæ catholicæ iudicio deteſtabiles, execrãdiq. ipſi codices damnati perpetuo. Itaque id plane,quod certe maximũ eſt,in vniuerſum ſatis optimo iure videretur ad coarguendum rei iſtius confictæ mendacium. Et quoniam ad opinionis nequitiam auctoritate abutuntur duorum, quorum memini,clarorum virorum, Ioſephi, et Ariſtææ: danda etiam opera eſt,vt contra iſtos falſæ opinionis auctores, et patronos,

Breui tempore verſio confecta.

Omnes ſacri lib. ab lxxij conuerſi contra opinionem Hebr.

nos, quàm diligentiſſime poſſum, tuear omni optimarum rationum ſtudio. Primum igitur ſi auctoritatibus contra aduerſarios pugnandum eſt, vt maxime fieri oportet contra iſtos ipſos, qui, ab omni alio argumento inopes, ad earum opem confugiunt; certe ex Hebræis Philo eſt, cuius auctoritas eorum opinioni tam repugnat, quàm qui grauiſſime, cum contra, palam, aperteq. ſentiat. Immo Ioſephus, et Ariſtæas, quos ſibi ſuffragari falſo opinantur, tantum abeſt, vt cauſæ eorum faueant, ab ipſiſq. ſtent, vt nobiſcum plane ſentire videantur. Idq. vberius et planius mox infra explicabo. Ex noſtris vero et latinis, et græcis ſunt, Hippolytus martyr, Origenes, Iuſtinus martyr, Methodius, Baſilius, Athanaſius, Nazianzenus Gregorius, Chryſoſtomus, Euthimius, Ambroſius, Auguſtinus, Hilarius, alijq. permulti: qui in explicandis vel pſalmis, vel Prophetis, vel aliis diuinarum litterarum libris, hos ſeptuaginta interpretes alijs anteponunt. Quæ res argumento eſt, illorum interpretationem non modo ad eos quinque Moſis libros, ſed etiam ad reliquos, qui veteri teſtamento continentur, pertinere: immo vero diuus Hieronymus, qui ſubdubitare videtur, an illi ſolum Moſis Pentatheucum, verterint, ſæpe in Prophetis, et alijs locis illorum ipſorum interpretationis meminit. Et vero Chryſoſtomus quidem teſtatum reliquit, Prophetarum libros, ab ijs conuerſos, vſque ad ſua tempora in Serapidis templo aſſeruari, quo in loco Ptolomæus ipſe ſacros eos libros cuſtodiri voluit. Sed iam miſſas facio auctoritates, quibus res ipſas ſatis nota, teſtata, et manifeſta videtur. Nunc vero eſt, cur rationibus plane diſſeram, quibus eadem, et probabiliter, et neceſſario demonſtretur. Non eſt igitur veri profecto ſimile, neq. probabile, quod etiam diuus Hilarius cenſuit, ſolam legem, pentatheucum ſcilicet Moſis dumtaxat ab Eleazaro ita ſummopere, vt narraui, flagitauiſſe Ptolomæum. Demetrius enim Phaleræus, qui ei petitionis huiuſce maxime auctor fuit, illi quærenti, qui tãdem libri bibliothecæ ſuæ regiæ deeſſent, per literas reſpondit, non legis tan-

Ioſephi, et Ariſtea teſtimonia ſentiunt nobiſcum de libris omnibus ſacris, græce verſis.

Chryſ. lib. contra Iud.

tum ſed etiam aliarum rerum volumina, quæ Hebræi haberent, deeſſe. Quamobrem tanti auctoris, cui Rex plurimum tribuebat, ſuaſu, ac reſponſo is vehementer incitatus, ceteros etiam hiſtoricos illorum codices, et ſacrorum prophetarum libros conſequi ſumma prece, omniq. petitionis officio contendit. Deinde iam Hebræorum lex, vt enarraui, ante ipſius Ptolomæi Regis ætatem, in græcum ſermonem ſi minus recte, at aliquo ſaltem modo conuerſa erat: eamq. obrem ad quandam illius notitiam, quàm multi ſapientes expetebant, opus minime videbatur, eãdem et litteris, et nuncijs à Rege tantopere efflagitari. Accedit hoc etiã, quòd cũ ipſe Rex ſummo deſiderio flagraret conquirendi comparandiq. ſibi omnia antiquitatis monimenta, quæcumque ad poſteritatem litteris prodita eſſent: nõ eſt id probabile, vt is Iudæorum legem ſolam depoſceret, reliquas illius tum florentiſſimi populi admirãdas hiſtorias, et propheticorum oraculorum ſacros libros prætermitteret, aut negligeret: cum præſertim iampridem omnia, non diſperſa, neque confuſa in annalibus, neque à Moſis inſtitutionibus ſeparata eſſent, vt antea fuerunt: ſed ab Eſdra in vnum collecta erãt, recteq. et ordine diſpoſita, vno volumine continebantur. Ac præterea cum omnes homines natura ducantur, ac trahantur ad rerum cognoſcendarum cupiditatem, illud quodam curioſitatis, quæ in eorum animis inſita eſt, ſtudio euenire ſolet, vt, ſi qua fortaſſe fama ad illos de vatum prædictionibus, vel obſcuriſſimis, vnquam affertur: ſtatim magno ipſi deſiderio exardeſcant eas cognoſcendi: exteræ autem nationis, aut gentis leges, quamuis multo vtiliores, percipere nequaquã curent. Idq. præſertim Aegyptij homines atque adeo ipſi Reges, qui putabant, ſe omnium ſapientiſſimos eſſe, ex Aegyptoq. potiſſimum ad græcos, et ceteras cunctas nationes ſapientiam dimanaſſe, vt multis locis, et in Phedro maxime Plato dicit. Non veri igitur ſimile ſit, neque adeo verum eſt, Ptolomæum legi Hebræorum tantum tribuiſſe, vt ſumptibus maximis erogatis, miſſiſq. non modo litteris, ſed nuncijs, et donis ac muneribus ampliſſimis, eam ſolum habere

F con-

concupierit, ceteros diuinarum actionum, prædictionumq. libros neglexerit, quorum vt rex magnarum rerum cupidiſſimus, idemq. potentiſſimus, deſiderio ſummo tenebatur.

Quod autem ad Ioſephum, et Ariſtæam attinet, qui Iudæis, contra opinantibus, fauere videntur: næ ij quidem ita loquuntur, vt explicatæ nullo modo dicãt quod vniuerſa iſtorum Synagoga putat. Atque id quidem ſatis conſtare videtur ex illis, quæ hoc tempore extant, eorum monimentis. Immo, ſi recte aliquando ipſi Iudæi animaduertent, quod illi hac ipſa de re ſcripſerunt, verum facile intelligent, quod hoc loco etiam atque etiam aſſeueranter dixi, libros videlicet omnes, et legis, et hiſtoriarum, et prophetarum hebraice ſcriptos, demum ab ſeptuaginta illis interpretibus eſſe diuinitus græce redditos. Nam illi ambo teſtantur, Demetrium, cuius ſuaſu Ptolomæus ea de re cum Eleazaro tam impenſe egerat, non tantum Moſis pentatheucum, ſed omnes ſacros codices petijſſe. Quod cum ita ſit, haud equidem Iudæis, ſed plane nobis vterque aſſentitur. Deinde, cum id præcipue narret Ioſephus, opus fuiſſe magnarum impenſarum: an tot ſumptibus confecta eſt interpretatio librorum ſolum quinque Moſis? non facile hoc quis affirmabit, cum ex ſumptibus, quos immenſos Rex erogarat, facile animaduertat, opus ipſum extitiſſe, omnibus ſacris libris, qui maximopere flagitabantur, perfectum, atque abſolutum. Cum ijdem etiam legem nominatim meminerint, eſſe conuerſam: eoq. nomine vniuerſam ſcripturam intelligant, non ſane Iudæis, ſed plane nobis aſſenſum præbent. In quam porrò ſignificationem neque eo ſolum loco, quo græcæ illius interpretationis hiſtoriam contexit, ſed ſæpe etiam alibi, libro præſertim contra Appionem, id legis nomen Ioſephus vſurpat. Et Philo itidem, qui omnes ſacros libros ex græca LXXII. interpretum verſione ad operis ſui auctoritatem cum adhibuerit, illo legis vocabulo ſignificauit totam hebræam ſacram ſcripturam ab ijs eſſe redditam græce. Sed vt hoc ita eſſe doceam, neceſſe non habeo alia multa exempla adiungere. Illud enim vnum Chriſti Domini, magiſtri cæle-

Editio græca lxxij. opus magnarum impenſarũ.

Legis nomine vniuerſa ſacra ſcriptura intelligitur.

Legis nomine omnis ſacra ſcriptura appellatur.

Digitized by Google

cæleſtis, dictum magno argumento erit, cum apud ſanctum Ioannem vno, et item altero loco ait, in Iudæorum lege ſcriptum eſſe: id quod nequaquam in Moſis libris, ſed in Dauidis verſibus ſcriptum eſt. Cur autem legis nomine omnis ſacra ſcriptura appellaretur, cauſa in promptu eſt, nimirum ob illuſtrem legislatoris Moſis gloriam, iamdudum peruagatam apud exteras etiam gentes, et nationes. Verum denique hæc ſacrorum omnium librorum interpretatio, aduerſarijs quoque inuitis, neceſſario ex eo demonſtratur, quòd cũ nemo quiſquam alius interpres, præter illos ſeptuaginta ſeniores, vſque ad Aquilam nominetur, qui deinceps multis poſt ſeclis primus Adriano imperatore biblia ſacra græce etiam vertit. Apoſtoli apoſtoliciq. viri, ætate ipſius Adriani ſuperiores, pſalmos, prophetas, alioſq. ſacros libros ex græca illorum ſeniorum verſione afferunt. Atque hæc quidem hactenus contra totam Iudæorum ſcholam. De Hieronymo ſanctiſſimo, qui ex aliorum ſententia locutus, à nobis aliquando diſſentire viſus eſt, illud tantum dicam, quod mox ſupra demonſtraui, illum ſcilicet demum re ipſa cum ceteris vniuerſis patribus ſentire, qui vna fere ſententia conſtantiſſime affirmant, quod pluribus diſſerui. Immo Galatinus, nõ modo omnes libros ſacros ab ijs conuerſos eſſe opinatur, ſed alia præterea quædam, ſpiritus ſancti afflatu, conſcripſiſſe, quæ ad veram eorum interpretationem pertinent. Illi vero non audiendi ſunt, qui Ptolomæi iuſſu Moſis ſolum libros quinque, ſua autem ſponte reliquos, antequam diſcederent, verſos ab ijs eſſe putant: cum contra ex ijs præclaris teſtimonijs, quæ ad veri explicationem attuli, liquido conſtet. Quæ etiam omnia explodunt hominis cuiuſdam hiſtorici opinionem, qui tam exiguo temporis ſpatio non niſi pentatheucum illos conuertere potuiſſe ſcribit: reliquos autem libros vertiſſe paulo poſt vel eoſdem viros, vel eorum aliquos, ad Ptolomæum aliquando reuerſos. Id nullo auctore, nulloq. teſte dictitant, ſed coniectura ſolum, quæ non equidem ratione nititur, ideoq. nemini recte ſuaderi poteſt, præſertim cum nihil mirum eſſe debeat, tam breui tempore eos

Ioan. c. 15. et c. 10

Argumentatio neceſſaria.

Opinio Galatini.

Exploditur quorundam opinio.

Digitized by Google

omnes libros græce redditos eſſe ab ijs, quos, ſpiritu ſancto adiutore, tantum opus perfeciſſe, conſtans eſt omnium patrum, et latinorum, et græcorum opinio, quam ſupra ſatis explicaui dilucide. Venio igitur ad alia, quæ à quibuſdam imperite nimis, atque inepte dicuntur, cum affirmare audeant, et ſeptuaginta hos viros litterate peritos non fuiſſe, et hebræum ſermonem illis temporibus prorſus interijſſe. Næ iſti impudentiſſime res duas negant, quas luculentiſſimi ſcriptores faciunt quàm teſtatiſſimas. Nam eos cum græce, hebraice, chaldaiceq. noſſe, tum et ſuæ gentis doctiſſimos, et legis diuinæ peritiſſimos, et diſciplinis maximis eruditiſſimos fuiſſe demonſtraui non coniecturis, ſed rationibus, atque adeo auctoritatibus ſummorum virorum: qui licet diuerſæ nationis homines, nempe Aegyptij, Hebræi, et græci, tamen omnes vnum idemq. de præſtanti illorum eruditione, ac doctrina ſentiunt. Temere iſti aduerſantur Ariſtææ, Ioſepho, et Philoni: temere clariſſimis repugnant monimentis patrum omnium. Quē vero iſtius opinionis auctorē ipſi habent? certe neminem: quem teſtem citant? certe neminem: quem patronum nominant? certe neminem. Sed cōtra cū illorum doctrina omnibus teſtificationibus atque exemplis perſpicue nota ſit, non eſt cur pluribus reſpōdeam iſtis, ingenij induſtria, et ſolertia ad rem exploratiſſimā, tam præpoſtere negandam, abutentibus. Quod vero præciſe negant linguam hebræorum tunc extitiſſe, cum Ptolomeus in Aegypto regnabat: haud equidem ſcio, quo etiam auctore ad hanc negationem vtantur: at mentiri audent in re, quæ patet omnibus. Aiunt enim, ſeruiture Babylonica eam linguā periſſe: ac propterea nequaquam ex hebræo ſermone Biblia in græcum fuiſſe conuerſa. Id tā falſum eſt, quàm quod falſiſſimum. Teſtis eſt Ariſtæas, qui ſcripturam ſacram hebraice ſcriptam eſſe docet: teſtis Philo eſt, teſtis Ioſephus, teſtes litteræ tum Eleazari pontificis, tum Ptolomæi Regis. Idem loquuntur omnes annales hebræi, ſyri, græci, et Latini: idem aperte demonſtrant omnium patrum monimenta. Hoc ipſum ex conſtantiſſima perpetuaq. traditione, quæ

Diſputatio contra opiniones quorundam.

Doctrina lxxij. interpretum.

Hebræa lingua nunquā perijt.

Ex hebræo in græcum ſermonem libri ſacri conuer. 51.

Philo lib. de vit. Moſ.

Ioſ. lib. 12. c. 2. ant. Iud.

Litteræ Ptolomai, et Eleazari apud Ariſtæam.

iam

iam inde ab vltimis illis temporibus vſque ad hanc ætatem dimanauit, omnis eccleſia accepit. At vrgent, et inſtant, Iudæos, Babyloniam in ſeruitutem abductos, annos ſeptuaginta, ibi exulaſſe: quo tàm longo temporis ſpatio, inquiunt, lingua hebræa perijt. Quid hoc eſt? mẽdacium merũ. Exularunt illi quidem tamdiu: at nõ id propterea tamen eorum ſermo interijt. Nã Ezechiel vnà cum iis exul fuit: hebraice locutus eſt, cum vaticinabatur, eo ſcilicet ſermone, quem vulgo intelligerent. Danielem exulem item, tunc multa chadaice ſcripſiſſe aiunt, nempe babylonico ſermone: id equidem nõ inficior, ſed ipſi negare non poſſunt, nec vero debent, hebraice etiã ſcripſiſſe. Quid? quòd Zacharias, et Aggæus prophetæ, hebræa lingua, poſt babylonium illud exilium, vaticinationes ſuas ſcripſerunt, eo ſcilicet ſermone, quo Moſes, Eſaias, ceteriq. prophetæ, qui ante babylonicam illam ſeruitutem floruerunt, prophetias ſuas litteris mandarunt. Non ergo lingua hebræa perijt. Immo Eſdras, qui codices hebræos quos omnes in excidio Hieroſolymitano Babylonij incenderant, poſt Iudæorum liberationem diuine reſtituit locutione hebræa: eadẽque publice in frequentiſſimo nõ modo virorum, ſed fœminarum cætu legem Moſis recitauit. An igitur lingua hebræa perijt, quam etiam mulieres norant? Si luculenta hac teſtimonia, clariſſimaq. exempla iſtis haud quaquam ſatis ſunt: certe ſatis eſſe debent euangelicæ, apoſtolicæq. litteræ, quæ ſermonem hebræum non amiſſum, ſed conſeruatum eſſe indicant, cum non modo multa habeant hebræa nomina, ſed titulum ſanctiſſimæ crucis, etiam hebraice inſcriptum fuiſſe declarent. Eſt igitur in prõptu, quod ab iſtis negatur. Quamobrem cum in exilio babylonico ille nõ interierit: immo eo ipſo ab Eſdra ſacri libri diuinitus reſtituti ſint: ex eodem hebræo in græcum ſermonem ſeptuaginta ſeniores vniuerſam ſcripturam verterunt, vt ſummus eſt omnium conſenſus. Nunc autem conſequens illud eſt, vt rationem explicem, qua illi præclara vſi ſunt ad interpretationem. At primo obijciunt Iudæi, quod Iuſtinus martyr in dialogo etiam, quem contra Triphonem habuit, commemorat,

Lingua hebræa nunquam perijt.

Eſdras reſtituit libros hebræos incenſos.

Ratio, qua lxxij. vſi ſũt ad interpretationem ſcripturæ.

Digitized by Google

illos parum recte, neque fideliter in interpretandi munere eſſe verſatos. Næ hoc quidem fuit certe quaſi quoddam illis perfugium, et tamquam extremum auxilium, ad quod deſcē debant, cum apertiſſimis tantorum interpretum teſtimonijs manifeſto eorum errores conuincebantur. Quid enim ad fidei noſtræ catholicæ præſidium aut firmius, aut ſtabilius, fixiuſq. excogitari potuit: quàm quòd duo illi et ſeptuaginta viri, hebræi homines, tot ante Chriſtum natum ſeclis, vno ſummo conſenſu illius myſteria patefecerint, prædixerint, deſcripſerint vſque adeo plane, vt in rem præſentem veniſſe videantur? quamobrem merito optimoq. iure illos, vt ſupra vberius narraui, prophetas ſanctus Hieronymus appellauit, omniſq. patrum antiquitas. Ea igitur tam diuina tantorum myſteriorum editio, quò potius commentarius quidam dilucidus doctrinæ euangelicæ, quàm interpretatio videtur, cauſa eſt, quamobrem inuidiæ ardore incenſi Iudæi, contra clariſſimos illos homines ſæpenumero virus euomant acerbitatis ſuæ. Porro illi, diuino ſpiritu afflati, vbi in ſacrorum librorum monimentis parabolæ ſunt, ſanctioraq. myſteria, nō verbum verbo reddunt, ſed ſententiam diſerte exprimunt, ſenſa aperiunt, res inuolutas explicant, atque enucleate ita cunctas res perſcribunt, vt non ante euangelium, ſed in ipſa euangelij luce ab oculos ponant, quam, velut ex altiſſima ſpecula recte cernebant, euangelicam apoſtolicamq. doctrinam. Quid multis? in eorum interpretatione, quam dilucide atque adeo diuinitus confecerunt, clarius elucet Chriſtus Dominus, quoniam non ad perfidiam Iudæorum, ſed ad præclarum euangelij ſplendorem, ſacrorum librorum interpretationem plane retulerunt. Sunt ij profecto, pietatis chriſtianæ teſtes, impietatis autem iudaicæ acerrimi oppugnatores. Non Iudaice ſcribunt, ſed euangelice, apoſtoliceq. omnino cum, quæcunque ſcripſerint, euangelicis atque apoſtolicis litteris conſentiant pene omnia. Religioni Chriſtianæ enim patrocinantur, iudæorum cauſam damnant: et vero nobiſcū faciunt, illos oppugnant. Sed illorum interpretatio in promptu eſt, et valde expedita ad rerum noſtrarum defenſionem

Editio lxxij. commentarius dilucidus doctrinæ euangelicæ.

Interpretatio lxxy. damnat Iudæos, fauet Chriſtianis.

atque

atque hæc nimirum cauſa præcipua eſt, quamobrem tantopere illam oppugnant, cum præſertim in anguſtum diſputationibus noſtrorum virorum aliquando adducti ſunt. Rationem porro, quàm illi adhibuerunt ad interpretandum, declarant patres, Hilarius multis locis commẽtarij, quo pſalmos expoſuit; Epiphanius in libro de ponderibus, ac ſanctus Auguſtinus in libris, et de ciuitate Dei, et de conſenſu Euangeliſtarum, et de doctrina chriſtiana, ſexcentiſq. alijs locis. Diuus item Hieronymus fere vbique, et quam ſæpiſſime. Ex quibus omnibus animaduerti, atque didici, quædam eos adiecíſſe, quæ in hebræo codice non extabant, idq. feciſſe, vt res, quæ tractabantur, dilucidius explicarent, ſanctioraq. myſteria aperirent: multa etiam conſulto, quæ ſuperuacanea exiſtimarunt, prætcrijſſe: plurimas etiam dictiones adhibuiſſe de ſuo, quæ deinceps obelo demonſtratæ ſunt, inquit Epiphanius: qui id non fruſtra, ſed vtiliter factum eſſe ſcribit. Omnes vero in ea ſententia ſunt, vt, ſiue addiderint, ſiue omiſerint, ſiue appoſitis locutionibus obſcura illi explicarint, diuino ſpiritu eos afflatos, cuncta fideliter, recte, pureq. interpretatos eſſe credant. Hocq. teſtimonium ijs dat in primis Auguſtinus ſanctiſſimus, idemq. aliquando affirmat, ſpiritum, qui in prophetis erat, quando diuine illa dixerant, eundem ipſum fuiſſe in ijs viris ſeptuaginta, quando illa interpretati ſunt, Eamq. ob rem difficile, inquit alio loco, fuit potuiſſe mentiri. At vero Iudæi contendunt, eos vno concentu in locis tredecim ab hebræo codice diſcedere. Id quidem nemo inficiatur: immo vnus e noſtris, vir latine, græce, hebraice, ſyreq. eruditus, aſſerit longe plures locos eſſe, in quibus ij rem ipſam optime ſcientes, non neglig ẽtia, aut dolo, ſed pio conſilio cælauerunt, tum quia ne omnia ſanctæ religionis myſteria gentibus exteris, a fide alienis, proderent: tum quia ne regem ipſum offenderent. Erant præterea aliqua: quæ obſcura, ac nondum illis temporibus plane perſpecta, ſilentio præterierunt, cum ea, Deo ita volente, illuſtranda eſſent luce ſplendoreq. euangelij. Ceterum cum diuinã illam, vt ſæpe narraui, interpretationem, à vatibus potius,

quàm

Hil. in pſal. 142. et 143. et 145. Auguſt. lib. de ciu. Dei 18. c. 43 lib. de doct. ch 2 c 15. lib. 4. c. 7. lib. 2. de conſ. Eu. 66.

Aug. lib. 18 c. 43 de ciu. Dei.

lxxij. quare interpretando omiſerũt multos locos.

Reſpondetur quorundam obiectionibus.

Aug. li. 15 c. 13. de ciu. Dei.

Macaritus.

Lucianus Martyr.

Interpretes ſacrorum Bibliorum alij Quinta, Sexta, editio Aquila Sinopæus.

quàm ob interpretibus ſcriptam, afflatuq. cæleſti confectam eſſe, omnes antiqui patres vna animi conſpiratione ſentiāt: nihilominus tamen ſunt, non hebræi modo, verumetiam ali qui e noſtris, qui eandem multis locis ineptiſſimam, et tantis viris indigniſſimam putent, cum non ſolum in verbis errores appareant, ſed non raro in bene longis verborum circūſcriptionibus. Id certe fieri nullo modo potuit eorum interpretum culpa, quos nemo vnquam tam ineptos, atque adeo imperitos, et ab interpretandi munere ita imparatos iudicauit, vt potuiſſent errata committere, quæ obijciuntur. Sed errores, ſi qui ſunt, ſanctus Auguſtinus notarijs, aut ſcribis tribuit, qui perpetuo illam mendoſe ſcripſerunt: diuus autem Hieronymus partim ſcribarum vitio, partim perfidiæ malitiæq. iudæorum, quorum in Aegypto multitudo tunc ingēs erat: Macaritus autem Logotheta non tātum vitioſæ perpetuæq. notariorum exſcriptioni, et ſceleratorum calliditati, ſed temporum longiquitati. Quam ob cauſam diuus Lucianus martyr ſacros libros, ille inquit, corruptos noua interpretatione renouauit, vt mox vberius dicam. Et ideo Hieronymus ſanctus, interpretes ſeptuaginta, inquit, vitiatos emē darunt tres, Lucianus Heſychius, et Origenes: quem in alia epiſtola, ad diuum Auguſtinum ſcripta, dum emendare optat, illos corrupiſſe affirmat. Quo factum, eſt, at alij etiam extiterint interpretes, de quibus ut propoſui, iam locus eſt diſſerendi. Ita enim perſpicue manifeſtum erit, in ſeptuaginta virùm editionem aliquando irrepſiſſe errores, cum ex frequenti, perpetuaq. illa exſcriptione, qua tactum eſt, ut quot codices, inquit idem Hieronymus, erant, erant autem pene innumeri, tam multiplex eſſet diuerſitas exemplarium: tum vero ex hominum ſacra interpretatione ad proprios ſenſus abutentium. Quamobrem iam venio ad alios græcos interpretes, qui tales numerantur, Aquilas Synopæus, Symmachus Samaritanus, Theodoric, Lucianus Martyr, Heſychius Sunt et aliæ item duæ interpretationes, quarum vna, Quinta, altera, Sexta editio dicitur. In his interpretibus quamquam Aquila voces planius explicat, non vere tamen ſem-

Digitized by Google

per vt is, qui fidei deſertor fuit: eius interpretatio aliquando a patribus adhibetur in cōmētarijs, non publice tamen vnquam comprobata. Is Adriano Imperatore, cui charus, gratuſq. fuit, ſæpe monitus, cum genethliaca profiteri non deſiſteret, ob eamq. rem ab eccleſia pulſus, hoc ita grauiter tulit, ut a Chriſtianis ad Iudæos deſciuerit. Itaque, vt ignominiā, cuius notam ſibi inuſtam eſſe putabat, aliquo modo vlciſceretur, iam grandis natu, hebræorum litteras diſcere cœpit. Quibus litteris breui eruditus, Chriſtianorum odio nouam confecit interpretationem, eo præpoſtero cōſilio, vt de ſuperioris illius ſanctæ editionis, qua Chriſtiani nitebantur, exiſtimatione detraheret: vel potius, vt eam, ſi poſſet, funditus euerteret. Symmachus, III. interpres, Septimio Seuero Auguſto, anno poſt Aquilæ editionem ſexto et quinquageſimo interpretationem ſuam ſcripſit: nec verbum de verbo, vt ille, expreſſit, ſed totum ſe ad ſententias accommodauit. Hic homo Samaritanus fuit, vnus e ſapientibus Samariæ, qui quoniam apud ſuos, quem ambitioſe expetebat, principatum obtinere non potuerat, ad iudæos defecit, à quibus iterum de more circumciſus eſt. Suorum igitur popularium odijs ob eā rem exagitatus, vt illius, qua tum Samaritani vtebantur, interpretationis pondus auctoritatemq. minueret, atque adeo prorſus abijceret, ſacros libros græce vertere aggreſſus, omnia, quæ de Chriſto Domino præclara erant teſtimonia, eò conuertit, vt Iudæis dumtaxat gratificaretur. Vſos autē fuiſſe illis temporibus, etiam Samaritanos, ea, quæ ab ſeptuaginta viris fuerat elucubrata, credibile eſt: cum perpauci ea tempeſtate hebraice ſcirent, græce autem omnes pene noſſent, populi, gentes, et nationes. Et quoniam is modo Samaritanus, modo Iudæus, modo Chriſtianus, modo in Hebionitarū hæreſi verſatus, in hac vitæ varietate cum maximam ſuſpitionem attulerit: eius item interpretatio, et ſi in rebus non dubijs, ſed plane certis, et probatis, aliquando a nonnullis priuatim in medium affertur: tamen vniuerſe numquam laudata eſt. Porro Symmachi perfidiam ſecutus Theodotio, homo ſi-

Symmachus interpres III

Theodotio Ponticus interpres IV.

G ue

ne Epheſinus,ſiue Pôticus, quartus interpres, Commodo Imperatore,illam ſeptuaginta virùm editionem mutare contendit omni ſtudio. Etenim in Martionis hæreſi volutatus,ætate iam prouecta cum eſſet,eamq. ſectam abhorrere, atquê peius odiſſe cæpiſſet, ad Iudæorum ritus animum nefarie appulit. Quibus denique per circumciſionem initiatus, conatus eſt quoque ipſe hebraicas ab elemẽtis litteras ediſcere. Iiſq. tinctus,vt Marcionitarum, à quibus transfuga erat, libros falſi coargueret,omnes,in quibus ſe aliquid cernere putabat,locos interpretationis ſeptuaginta virùm ad nefarios ſuos ſenſus tranſtulit:ceteros integros reliquit. Itaque quartus hic interpres,chriſtianus primo,deinde hæreticus, modo Marcioniſta, modo Hebionita factus, tum demum ad Hebræos tranſijt. Is ſacros libros Græce interpretatus, in eo numero fuit, vt vix in paucis, ijſq. aliorum interpretatione perſpicue manifeſtis,fides ei habita ſit,cum multa de ſeptuaginta virùm interpretatione peruerterit,velpotius corruperit. Denique, Caracalla imperante,non multis poſt Theodotionem annis, inuenta eſt in Hierico, dolio quodam occultata, quinta interpretatio, et poſt quintam ſexta tempore Alexandri Mammeæ,et porrò ſeptima fortaſſeq. etiã aliæ plures:ſed iſtæ omnes incertis aùctoribus, ac præterea contaminatæ, planeq. magna exparte ad ſeptuaginta illorum interpretum euerſionem forte aliquando excogitatæ:eamq. ob rem non ſunt vſquam publice in eccleſijs lectæ. Quantam igitur,pro ſua libidine,vel ſingula veteris illius interpretationis verba mutandi licentiam olim ſibi quidam homines permiſerint, cum eam tam multarum inter ſe diſſidentium interpretationum occaſionem nacti eſſent, facile poteſt quiuis exiſtimare. Immo omnes,in litteris verſati,experiundo cognòſcunt,pro ſuo quemque arbitrio inferioris ætatis interpretẽ, ac ſæpe nullo iudicio, addidiſſe,ſubtraxiſſe,ac demutaſſe, quod ſibi viſum eſſet. Ex his omnibus, quas commemoraui, interpretationibus græcis Origenes,cum intelligeret veterem illam ſeptuaginta duorum ſeniorum verſionem multis modis eſſe violatam

Interpretatio quinta. Interpret. Sexta Sept.

Opus Origenis tetraplũ Exaplum, Eptaplum, Octaplum.

Digitized by Google

tam conſcientiæ religione ductus, et linguæ hebrææ cognitione incitatus, opus confecit, et quaſi conflauit, quod tetraplum, et hexaplum atque etiam heptaplum, et octaplum, pro diſtinctionis ratione nominauit, cum librorum paginas ſcilicet ſingulas per quatuor, aut ſex, aut ſeptem octoue ſpatia, tã quam columnas diſtinxiſſet. Itaque in ea opinione, quã proxime dixi, eſt ſanctus Hieronymus, vt illum ſacros libros nõ correxiſſe, ſed corrupiſſe ſentiat. Quæ enim adiecta eſſe vidit, ea appoſitis obeliſcis quaſi iugulauit, et confodit quæ vero detracta animaduertit, aliundeue, preſertim ex Theodotione, ſumpta in contextum irrepſiſſe, illa aſteriſcis notauit: codicum denique plurium ſcripturas diuerſas indicauit limniſcis, pauciorum autem teſtimonio comprobatas ſignificauit hypolimniſcis. Erat porro limniſcus, nota quædam inſtar paruuli obeliſci, cuius medium includebant puncta duo, vnum ſupra, alterum ſubter: hypolimniſcus vero cuneoli exigui effigiem, aut lineam cum ſubiecto puncto præ ſe ferebat. Quarum notarum vim Epiphanius luculente declarauit: figuram in exemplari quodam Syro vetuſtiſſimo extare aiunt. Ex hac ſumma cura, incredibiliq. diligentia, quam Adamantius Origenes ad illam quaſi coagmentationem tam multorum interpretum adhibuerat, credibile fit, quod modo ex ſancti Hieronymi auctoritate dixi, corruptelas non paucas græcæ, LXXII. virùm interpretationi importatas eſſe. Quæ præterea aliæ corruptionum tempeſtates, et turbulentæ, et diutinæ, ab aduerſarijs extiterint, Iudæis, et hæreticis, opinionum ſuarum commenta ſequentibus, ego ſane aliàs epiſtola ſingulari pluribus oſtendi: ſed nemo fere eſt, qui in ſacris ſtudijs verſatus, firmum eius rei iudicium facere nõ queat. Iamuerò notæ poſſunt eſſe cauſæ, quamobrem aliquando deprauata, mendiſq. aſperſa fuit hæc LXXII. interpretum editio. Quo factum eſt, vt alij deinceps fuerint, qui, Biblia ſacra græce verterint, quemadmodum res tota annalibus eccleſiaſticis narratur, præſertimq. de Luciano martyre apud Strabonem. Is, homo ſyrus, et hebraice græceq. item doctus, cum animaduertiſſet,

Opinio Sancti Hieronymi de exẽplo Origenis.
Obeliſcus
Aſteriſcus.
Limniſcus.

Hypolymniſcus.

Exemplar ſyrum.

Corruptiones vnde ſacris Biblijs importata.

Alij Sacrorum Bibliorũ interpretes græci.
Lucianus Martyr.

G 2 ſacros

ſacros diuinoſq. libros interpretũ lxxij. plurimum eſſe vitiatos, quippe ipſum tempus multa corruperat, et perpetua aliorum in alia cõmutatio: quin etiam quidam homines, peſſimi græcarum ſuperſtitionum patroni, cum vellent ea, quæ in illis ſunt ſenſa, peruertere, plurima in ipſis falſa, atque adulterina ſuppoſuerunt: vt huic malo, publicoq. incommodo obuiam iret, id negotij ſuſcepit, vt ceteris omnibus aliorum interpretum libris acurate perſpectis, diligẽterq. cum Hebræo codice collatis, græce rurſus illos ipſe redderet. Quæ ſane huius interpretatio, multorum iudicio ceteris emendatior, ita cum ſeptuaginta interpretum ſententia conſenſit, vt Conſtantinopoli, lociſq. omnibus, quæ inde vſque Antiochiam pertinent, non alia, niſi hæc et ad lectionem, et in teſtimonium publice adhiberetur: idq. propterea à Græcis quibuſdam vulgata et communis appellata eſt. Non multo poſt Heſychius Hieroſolymitanus presbyter, Nazianzeni auditor, in hoc genere verſatus, eam moderationem adhibuit, vt eius interpretatio cum ſeptuaginta illis viris conueniret, nec à uulgata noſtra editione diſcreparet. Horum præſtantiſſimorum virorum ſtudium, operaq. diligentiſſima apud omnes habuit ſummam laudem in emendanda, corrigendaq. illa ſeptuaginta duorum ſeniorum interpretatione: quam vnam cum magis, inquit Ambroſius ſanctiſſimus, ſequeretur eccleſia: ceteræ omnes breui neglectæ iacuerũt, atque paulatim interciderunt. Illa vero, quæ miſta fuit, et aſteriſcis, nempe Theodotionis verbis, ab Origene ſuppleta, editio eſſe quoque deſijt, tum librariorum negligentia, et culpa, qui illos aſteriſcos, notaſq. tam multas grauate, atque ægre ſcribebãt, tum ſumptum etiam, et laboris, quo, niſi maximo, ac nimio, illi Origenianæ editionis libri parari poterant. Itaque omnes hanc lxxij. ſeniorum interpretationem deſcribere cæperunt hac vna contenti fuerunt, cuius olim ſacroſancta fuit auctoritas, præſertim ante Hieronymi ſanctiſſimi edictionem. Nam Apoſtoli, Euangeliſtæq. ſunt eorum vſi interpretatione: in eamq. ipſam Theologi Græci, vt Origenes, Theodorus, Baſilius

Editio græca vulgata

Heſychius presbyter.

Aliæ editiones eſſe deſierunt.

Editio miſta

lxxij. interpretum editionis auctoritas.

lius, Theodoritus, Gregorius, Athanaſius, Chryſoſtomus, et innumerabiles pene alij latiniq; veteres, præſertim ſancti, Ambroſius, Auguſtinus, Hilarius commentarios conſcripſerunt. Ex hac patres, aut vitæ ſanctitate, aut doctrinæ laude inſignes teſtimonia attulerunt, tum ad vitæ Chriſtianæ diſciplinam, tum ad veritatis confirmationem, tum ad refutationem falſarum opinionum. Hanc eandem ſacroſancta illa patrum Oecumenica concilia adhibuerunt: hæc ipſa in omnibus diuinis officijs eſt vniuerſæ Græcæ Eccleſiæ uetus ac vſitata. Ad horum denique ſeptuaginta intrepretum ſententiam ſe ſe ij accommodarunt, qui ſacrum veteris teſtamenti volumen vel in Arabicum, vel in Aethyopicũ, vel in Armenum, vel in Macedonicum, vel in alium denique ſermonem earum gentium conuerterunt, quæ IESV CHRISTI fidem in Aſia colunt. Soli Marpnitæ non horum, ſed Syriacam, quæ cum Hebræo ſenſu potius conuenit, interpretationẽ conſectati ſunt. Quid multis? ſolæ quinque illæ Hæreticorum ſectæ, quas Philaſtrius narrat, hanc, quam vniuerſa Eccleſia comprobauit, repudiarunt, vt maluerint ex ijs alij Aquilæ pontici, alij Symmachi, alij Theodotionis, nonnulli triginta quorundã virùm, quidam aliam, que neſcio quorum ſex hominum fuit, alij Hebræam quandam editionem ſequi, quam non ex comprobatis hebræorum codicibus, ſed ex quibuſdam alijs, et ijs quidem hebraice conſcriptis, ſumpſerunt, quos poſt Babylonicã ſeruitutem in dolijs eſſe repertos dictitabant. Sed repudiatum eſt, atque exploſum iſtorum iudicium perpetuo, conſtantiq. vniuerſæ Eccleſiæ conſenſu, atque vſu, nam vt in Eccleſijs Græcis Græce, ſic latine in latinis eadem ſeptuaginta virum interpretatio publice legebatur. Quid? quod hebræi hãc ipſam in honore vſuq. octigentorum annorum habuerunt, vt dixi ſupra longe vberius. Huius igitur tantæ, tamq. apud omnes olim peruulgatæ interpretationis opus iam modo in lucem prodit ſingulari certe beneficio ſapientiſſimi Pontificis Sixti Quinti. Is quo tempore Cardinalis erat, ad ſancti Ambroſij opera, pure integreq. corrigenda attentiſſimus, et dili-

Editio lxxij. apud omnes nationes Chriſtianas.

Maronitæ vtuntur Chaldaea editione.

Interpretationes, quas quidam hæretici adhibuerunt.

Editionis lxxij. vſus apud hebræos diuturnus.

Editio græca Bibliorum, lxxij. beneficium eſt Sixti V. Pont.

Digitized by Google

diligentiſſimus, cum animaduerteret illum, tam egregium eccleſiæ doctorem, non modo ceteris anteponere hanc ſeptuaginta ſeniorum editionem, ſed ea ipſa ad omne eximiæ lucubrationis ſtudium perpetuo religioſeq. vti: voluit ſane quidem, quemadmodum in ceteris ſolet, in eo etiam rectæ perfectæq. emendationis munere, quod ſumma cum laude præſtitit, publicis eccleſiæ rationibus conſulere, ut maxime, optimeq. potuit. Itaque Gregorio xiij. quo pontifice in libris tanti doctoris præclare corrigendis verſabatur, auctor, hortatorq. pene aſſiduus fuit, vt græca illorum ſeptuaginta interpretum Biblia, quæ in bibliotheca Vaticana pontificia aſſeruantur, in lucem emitterentur, quàm emendatiſſime poſſent. Idq. rei Chriſtianæ publicæ commodo atque vſui fore oſtendit cum ad cetera multa, tum ad omnem ſacrorum commentariorum explicationem, quorum monimenta antiqui patres nobis reliquiſſent. Perſuaſit pontifici hoc optimus Cardinalis Montaltus: qui, eo mortuo, põtifex proxime creatus, quod apte recteq. ſuaſerat, quoniam e re publica eſſe vidit, quam primum, accurateq. ad exitum perduci voluit. Atque id ipſum quidem curauit ſummopere. Carafæ enim, Cardinalis ampliſſimi, et litterarum omnium doctrinis eruditiſſimi, cuius fidei, ſapientiæ, curæq. ſingulari, ac præcipuæ, illud emendationis et editionis munus commiſſum erat, ſtudium ad rem perficiendam etiam atque etiam valde incenſum, ferme in dies ſingulos vehementius inflammauit: virorum autem lectiſſimorum, qui illius egregiæ correctionis operi diligentem operam nauabant, ſolertiam corrigendi, induſtriamq. excitauit pontificiæ liberalitatis præmijs. Eſt igitur, cur, perpetuis ætatum ſeclis, græcæ ſeptuaginta ſeniorum interpretationis emendatæ, atque editæ opus iure optimo meritoq. tribuatur religioſiſſimo ſanctiſſimoq. Põtifici Sixto Quinto: cuius ſuaſu illud primo inchoatum, deinde ſollicitudine excitatum, tum auctoritate inflammatum, demumq. perfectum eſt omni ſuæ pontificiæ benignitatis officio. Id vero editionis huiuſce beneficium, quod profecto et publice, et priuatim maximum

Munus huiuſce interpretationis quanti ſit.

eſſe,

eſſe, ſapientiſſimo cuique videtur, tanti eſt, vt omnium fere, qui de ſacris litteris recte ſentiunt animos ſibi pontifex deuinxerit: eamq. ob rem nulla vnquam ætas de eius laudibus conticeſcet. Eſt enim munus, ad ſempiternam gloriam inſigne. Nam antea quæ in vulgus typis editæ ſunt græcæ Interpretationes, et apud omnes peruagatæ, vt illa Complutenſis, olim Ximenij Cardinalis ſtudio emiſſa, nuperq. hæc regia, non puræ eæ videntur atque integræ à verbis Theodotionis, cæterorumq. interpretum, ſed multis locis plane permiſtæ. Hæc vero pontificia, quæ ſcilicet Sixti Quinti pontificis au- *LXXII. editio pontificia, pura et ſimplex.* ctoritate in lucem prodijt interpretatio haud equidem miſta, ſed aut pura ſimplexq. eſſe videtur ſeptuaginta illorum ſeniorum, aut certe ad eam proxime omnium accedit. Cuius rei argumento eſt primùm titulus in vetuſtiſſimo bibliothecæ Vaticanæ exemplari, vnde huius pontificiæ editionis exemplum ſumptum eſt. Ea vero inſcriptio, cum nongentorum am plius annorum eſſe putetur; non eſt, cur quiſquam eam falſi nomine ſuſpectam accuſet. Nam quamquam græculi horum temporum homines, lucri appetentes, quo pluris græciæ monimenta vendant, eo de crimine interdum conuicuntur: antiqui tamen græci, veteriq. græcia digni, tantum ſcelus abhorruerunt maxime. Sed eſt etiam huius editionis ratio ea præſtantiſſima, quòd cum priſcorum patrum, qui vel Græci, vel Latini pura illa ſeptuaginta virùm interpretatione ad ſuas lucubrationes vſi ſunt, monimentis, recte exaratis, accuratiſſime collata, præclare multis locis conuenit. Nec vero diſſentire videtur ab illo vetuſtimo exemplari Syræ verſionis, quæ ab ipſo græcæ ſeniorum ſeptuaginta interpretationis fonte, tot ante ſæculis, pure ad eam nationem deriuata eſt. Verum denique argumenta eius rei plura multo ſunt, eaq. cum omni ratione cohærentia, quæ præfationis litteris, pontificiæ huic editioni aſcriptis, non ornate ſolum explicantur, ſed dilucide in primis ac ſplendide. Atque hæc quidem ſunt, Alexander optime Cardinalis, quæ breui commenrario de biblijs græcis ſcripta, in lucem prodire volui nomine ampli-

tudinis

Digitized by Google

tudinis tuæ, omni virtutū nomine illuſtriſſimæ: cui me, meaq. ſtudia, atque adeo res omnes iampridem ſtatui dicare, atque addicere in perpetuum. Sum enim tui tam ſtudioſus, tamq. cupidus, quàm qui maxime, cum ita me eſſe velit Sixtus Quintus Pontifex, cui plane debeo omnia.

Laus Deo.

F I N I S.